Digitized by Google

6
11-c
65

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
5 A
20

C.6

6-11-c-65

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

# POSSINI

# ORATIONES.

# PETRI POSSINI

E SOCIETATE IESV.

# ORATIONES.

Della camera de[illegible] di Portogallo

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUEL

BIBL · DOM · PROF · ROM IHS

TOLOSÆ,
Typographiâ Fr. Bovde, ſub ſigno ſancti Thomæ Aquinatis, ante Collegium Societatis IESV.

*CVM APPROBATIONE.*
M. DC. LIV

CLAR. ATQVE ILLVSTRISS.

# D.D. GVLIELMO
# DE PVGET,

## IN SVPREMA

PARLAMENTI
Toloſani Curiâ

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

## ENATORI INTEGERRIMO

*CIO exprobrabilem videri pleriſque profeſsionem voluntatis ſucceſſu ſæ; & quod infeliciter co-*

*nati nequivere aſſequi, ſolere homines, quibus exiſtimatio curæ ſua eſt, diſſimulare ſe tentaſſe. Tamen Ego, qui quantum abſim ab eloquentiâ & ipſe ſentio; & ne alij neſcirent nimis forte jam multis experimentis palam feci: confiteri, ſaltem voce ſubmiſſâ, non verebor Tibi, SENATOR INTEGERRIME, de antiquo & ingenti amore quodam meo Eloquentiæ; Rei videlicet tam ſpecioſæ tantique ſplendoris, ut, quod de Sapientiâ olim eſt creditum, eam concupiviſſe eique parandæ ſtuduiſſe; quicumque ceptis reſ-*

*ponderit exitus, imputandum homini ad laudem, honoriſque in parte numerandum ſit. Acceperam rudimentis ferè puerilibus eius adipiſcendæ primam eſſe ſpem in meditatione Scriptorum veterum: alteram in eorumdem expreſsione conandâ; ingenioſæ cujuſdam ac liberalis, non vilis ac circa patulum verſantis orbem imitationis ſtudio. Ab iſta inductione animi Græca & Latina Exemplaria, Veteris Magiſtri præcepto Flacci, diurna nocturnáque inſtiti verſare manu. Legi, didici, hauſi penitus ac combibi: Tum ad exer-*

*citationem ſtyli converſus; quod illuſtre ac magnificum miratus Claſsicorum Autorum in Libris eram, aſſectari delineando, ac reddere, tractandis argumentis finitimis ſum conatus. Specimina iſtius Operæ è pluribus hæc nunc edo pauca, neglecta dudum à me penéque abjecta, dum multos iam annos alia meditor: cæterùm hortatu Amicorum ſtudioſæ Latinitatis Iuventuti profutura ſperantium, prælo conceſſa. Purior in fontibus (quis negat?) verum ob longinquitatem difficilior & rarior hauſtus eſt: opportunior; nec inſalubris in ri-*

*vis; vivas modo & perennes aquas ab ipsâ protinus ſcaturigine perducentibus. Plerumqne quibus abſtruſiùs loqui Veteres videntur, familiariùs neſcio quomodo expreſsi è Priſcis ſe Recentiores inſinuant: & debiles Tyronum oculos blandius tenent, quaſi remiſsiore ſplendore: ſicuti videmus, quorum acies ſolem intueri contra meridianum haud ſuſtinet, eos in aqua illum, aut in nube temperatiùs micantem innoxiè ac ucundè cernere.*

*Hactenus de publica Editionis huius cauſa: cui aliam, c præſertim loco memorabi-*

*lem; ſuccenturiat Officium in Te meum. Dudum (ut quod res eſt fatear) VIR PRÆSTANTISSIME, mihi non placebam quod Amori ac Beneficentiæ erga me tuis, ſi minus gratiam uſquequáque parem, certè teſtimonium grati animi mei nullum rependerem. Obtulit ſe commodum tali curâ instincto Liber hic, velut Marmor idoneum æternis notis meæ in Te voluntatis victuro monumento conſecrandis. Quare hiſce Orationibus ac Diſſertationibus quotquot ſunt cunctis unam docere ac perſuadere rem unicè nunc quidem cupio: de-*

*bere me plurimùm & velle tua cauſa; eundém que vt multis nominibus devinctiſsimum, ita & addictiſsimum eſſe me Tibi. Quibus Tu promeritis hanc mihi profeſsionem expreſſeris longum ſit vna Epiſtola dicere: & Alijs talia tempeſtivius aut gratiùs quam Tibi narrarentur. Non tempero tamen mihi quin vnum ſaltem palmarium humaniſsimæ benignitatis in me tuæ documentum hic adſcribam, ex quo æſtimare cætera Prudens quivis poſsit. Quæſitum alias fruſtra in hac vrbe veterem Codicem Alexiadis Annæ Comnenæ cum*

*partim meo , partim Amicorum qui ex me reſcierant , ſermone comperiſſes deſiderari etiamnum â me , poſtquam inpretatio ejus Hiſtoriæ mea prodijt: atque adeo propter novam forte oblatam ſpem brevis ſaltem vſuræ iſtius exemplaris eblandiendæ , Notarum in id Opus mearum Editionem eſſe dilatam : Notaſti locum ; & non minus quam occurſu theſauri , occaſione bene merendi reperta lætus, per Amicitias & Clientelas tuas longa menſium aliquot negotiatione perfeciſti, vt liber vix exorabiliori quam vellus aureum , vel Autumnus*

*Heſperidum, cuſtodia ſervatus hactenus, publica deſideria fruſtrari aliquando deſineret. Clave videlicet portas omnes reſeraſti aurea; & cum merce rara pretio non modico redempta me humaniſsimè mox adiēs, ea qua ſoles ſynceritate ſermonis ſine fuco & faſtu, ſignificaſti: Afferre Te Codicem,,, Annæ Comnenæ cui ſquallor,, quidem & illuvies quantæ-,, vis ſenectutis autoritatem ar-,, rogaret. Is ſi mihi forte (quod,, non deſperabas) ad ea quæ,, inceptaveram aut deſtinaue-,, ram vſui quoquo modo poſſet,, eſſe, tum Tibi ejus, vel inqui-,,*

„ rendi laborem, vel parandi
„ ſumptum, benè collocatum
„ viſum iri. Haberem illum
„ mihi, quod bene verteret, otio-
„ ſéqueprobarem, Eccubi Ale-
„ xias nuper edita, ex huius
„ olim deſcriptæ collatione
„ queat proficere.

Ignoſco infātiæ qua tū obmutui, tā inſolitæ liberalitatis admiratione defixus. Quando ne nunc quidem poſt tot moram & meditationem menſium expedire verba valeo, quæ magnæ voluntati ſatisfaciant. Quare ſolvendo ingenti debito cū hodierna Ætate ſeram quoque Poſteritatem in partem officij

*ecum advoco, tuo pariter no-*
*ini obſtrictas iſto facto: &,*
*inor, curaturas eas Tibi ho-*
*ores comuni Reipublicæ lite-*
*riæ univerſæ Rogatione de-*
*erni, qui quam optimo jure*
*ebentur Reſtitutori & Exor-*
*atori Libri deſideratiſsimi;*
*eſperatiſsimo ſex ferè ſæculo-*
*um neglectu perempti ac per-*
*iti. Itaque auguror fore ut*
*hi mox Editione Notarum in*
*lexiadem mearum publicè*
*ſtabit, non modo expletas ope*
*nica Pugetiani (ſic enim*
*einceps vocabitur) Codicis*
*mnes Editionis primæ lacu-*
*as, ſuppletos defectus, oblitos*

*& obliteratos nævos; atque adeo mille facilè locis Opus illud emaculatum, recentatum, deterſum, Æqui & literarum Amantes omnes Te ſummis huius ævi Heroibus, in laudis ſocietatem aggregaturi ſint, & magno conſenſu decreturi; vt poſt Eminentiſsimũ Cardinalẽ* Barberinvm, *& Illuſtriſsimũ* Segvierivm *Cancellarium Franciæ quorum auſpicijs Annæ Hiſtoria primùm prodijt; proximus Tibi locus gratię ſervetur, quòd vt Ambobus illis, velut ſalutaribus Genijs, Cæſariſſa vitam & lucem; ita Tibi cultum & ornatũ debeat.*

Debet

*Debet eadem vero prœterea &*
*Virum: inopinatū debiti genus!*
*Debet, inquā, Tibi Anna Com-*
*ꝛena dilectum & dilaudatum*
*llum ſibi Cæſarem Bryenium,*
*uem amiſſum conjugem turtu-*
*inis paſsim queſtibus Opere*
*oto ſuo proſequitur: cuius*
*mitatione ſe ſcripſiſſe; cuius*
*Operis ſæpiſsimè ab ipsá cele-*
*rati Alexiadem ſuam nihil*
*iſi Continuationem & quaſi*
*Appendicem eſſe profitetur.*
*Hunc Tu illi reddis. Quan-*
*ꝛ eius iſtam egregiam lucu-*
*rationem, nullis (quod repe-*
*re potuerim) Bibliotheca-*
*um Italicarum, Gallica-*

*rum , Germanicarum , Hiſpanicarum quos videre contigit Indicibus memoratam: Opus , inquam , illud Commentariorum Cæſaris Bryenij tuus præclarus Pugetianus Codex pleniſsimum elegantiſsimúmque repræſentat. quod equidem adeo cupidè deſcripſi , vt vix ſomnum ex quo cepi , donec abſolverem, videre tranquillè potuerim. Facilè autem provideo cunctos Byzantinæ Hiſtoriæ Fautores , vt non Admiratores dicam , nec paucos, nec indoctos , nec de vulgo homines , cum librum quin-*

*ue fere Conſtantinonpolita-
orum Cæſarum tēpora, mo-
es, réſque geſtas ex præſen-
i notitiâ, curioſiſsimè, co-
ioſiſsimè, diſertiſsiméque
leſcribentem, ab homine non
ninoris ingenij & erudi-
ionis, quam nobilitatis, dig-
iitatis, atque autoritatis,
laboratum, aliquando legent
er me tuo beneficio palam
ditum; & Tibi faſſuros à
e deberi plurimùm: & meam
i forte minus induſtriam
oſſunt, fortunam certè lau-
laturos, quod in talem the-
aurum tam feliciter incide-
im.*

*Huic tuo tali ac tanto, tum nonnullis aliijs id genus meritis, dicebam nempe rependere me hanc oblationem Orationum mearum. Nunc vero cum penitiùs cogito, potius adducor vt fatear, Petere me hîc nouam à Te gratiam, non veterem prius acceptam remunerari. vtique ſi eum libro meo iſti honorem ambio (quod non diſsimulo facere me) vt in tuâ lectiſsimâ celeberrimáque Bibliothecâ locum à Te tributum obtineat: cui felicitati non Athenienſis non Romana Ciuitatum*

*jus, ſi ſapit, præoptaverit. Famæ olim perennis præiudicium, & velut prærogativam duraturi Honoris habere putabantur* Scripta Palatinus quæcumque Apollo recepiſſet, *vt Horatius loquitur. hoc eſt, quæ in Palatina Templi Apollinis Bibliotheca digna eſſent habita quæ reponerentur. Similis Tui quædam Muſei autoritas eſt. Non enim Tabernas temerè librarias totas in forulos tuos infercis: nec in numero aut ſumptu ( quamquam iſta non deſunt ) ſummam tibi ad Excellentiam ponis, me-*

*riti ſecurus : Sed non niſi moroſè probatis & dote raris aliqua volumnibus iſtius demum dignationem loci poſt ſeverum & penè faſtidioſum impertis examen: vt cum numero incredibili Codicum copioſiſſima, egregio loci ornatu ſplendidiſsima Bibliotheca tua ſit; eadem tamen à Iudicij Tui luce ac delectûs prudentia, nullo pretio æſtimabilem, nullo ſumptu parabilem commendationem libris quos amplectitur conciliet. Inter quos ſi meo huic quoque locus erit, habebis domi tuæ præterquã Sponſorem & Obſidem æternum, teſtem inſuper atque*

*Interpretem fideliſsimum opti-
næ officioſiſsimæque voluntatis
ejus meæ, qua ex intima mei
animi ſententia veriſsimè ſyn-
ceriſsiméque ſum,*

ILLVSTRISSIME DOMINE

Clariſſimæ Amplitudini Tuæ

Deditiſſimus

PETRVS POSSINVS
è Soc. IESV.

Scribebam Toloſæ XIV. Kal.
Sept. An. CIↃIↃCLIV.

# APPROBATIO, ET Permiſſio R. P. Provincialis.

EGO infra Scriptus Præpoſitus Provinciæ Toloſanæ Societatis IESV, Permitto, vt Orationes Petri Poſſini Societatis noſtrę Presbyteri, à Tribus Theologis Probatæ, in lucem edantur. In Cujus rei fidem has Literaş manu noſtra ſubſcriptas & ſigillo munitas dedimus Anicij 11. Maij An. 1654.

CLAVDIVS BOVCHER.

## ERRATA.

Pag. 209 v. 23. comedabilis. *lege* commendabilis.
Pag. 286. v. 6. *ſupple* numerum annorum Ilij capti malè a Typis expreſſum 433.
Pag. 288 in titulo Munilio *lege* Manilio.
Reliqua, ſi qua forte nos fugerunt, agnoſcet ſtatim prudens, & ignoſcet Bonus Lector.

# PETRI POSSINI

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

## E SOCIETATE IESV

## ORATIO I.

## TOLOSAM DEO CHARAM ESSE

*Dicta Toloſæ coram Senatu & cunctis Ordinibus* XIV. *Kal. Nov.* *An.* CIↃ IↃCXL.

AVDACIS incepti mihi conſcius; & eius publicâ profeſsione, promiſſionis penè improbæ palam reus, ſerò hinc ſcilicet æſtimo, quantum vel invidiæ à minus æquis, vel expectationis à clementioribus onus ſubeat hæc ipſa prima oſtenſio Actionis meæ: dum ignorabilem humana

generi fatorum vim, arcanámque ſententiam Divinitatis, quam etiam indagaſſe temeritas ſit, ego me promulgaturum eſſe denunciem. Ita ne meum aut hominis tandem vilius eſt, ſcrutari conſcientiam divinorum ſenſuum; decretorum cœleſtium tam ſeducta illa myſteria rimari; quo arbitraria benevolentia Numinis vergat; quid diligat potiſsimum, quid præ cæteris curet, quid quaſi peculiare ac charum habeat Deus, quærere? Equidem conſenſu Sapientum veterum præiudicata dudum opinio eſt: Religiones occultari adytis ius fáſque eſſe: gaudere tenebris Numen; & cum in Dei Naturâ obſcura multa, tum nihil eius tacitis ſtudijs ad inveſtigandum eſſe perplexius. Hæc ego qui neque neſciam, neque diffitear, idem tamen ſentio & æquitati veſtræ probaturum ſpero: difficillimè amicitiam tegi: non eſſe fallacem benevolentiæ indicem beneficentiam: neque vmquam obſeruabili veſtigio carere ſuſpicionem amoris, vbi facultas adſit ſemper ſe in munera profundentis. Sanè cum in tam munitam inexpugnabilis poteſtatis arcem ſubducta diuini Numinis Majeſtas ſit, vt ei ne conjurata quidem vniuerſitas rerum extorquere quidquam inuitæ valeat; nequaquam vana vt opinor conjectura fuerit: ſi, quem donis cœleſtibus mactum copioſiſsimèque ornatum videam, voluiſſe plurimum eius causâ Deum exiſtimem: cujus vnius liberalitas & bonorum omnium vnicus fons; & in proprij arbitrij liberrimâ poteſtate ſit. Atqui verſari videmus in plebis etiam perſuaſione communi; multo hæc verius ac probabilius de Societatibus hominum mutuo jure deuinctis, quas ciuitates dicimus, quam de priuatis capitibus diſputari. Quaſi enim dignitatem in meriti defectu numerus ſuppleat; cum impar vſquequaque Dei reſpectibus homo quiſque ſit, tamen

ex ijs coactum conflatumque cœtum molem atque inſtar obtinere quoddam, & quaſi aliquam reuerentiæ perſonam ſumere cujus nonnullam habere velle rationem ne ſupremum quidem Numen æternæ mentis faſtigio tanto ſuo indignum exiſtimet. Vnde inueterauit in ciuitatum omnium faſtis, atque ab Originum vltimarum arceſsita capite fiducia eſt protectionis beneuolentiæque Diuinæ: vt ſe Miletus Apollini, Tyrus Herculi, Gortina Iovi, Thebæ Dionyſio, Athenæ Palladi, Carthago Iunoni; Tarentum Neptuno, Marti Roma, Vrbes aliæ ſuis quæque indigetibus & πολιέχοις comendatas eſſe numinibus ac charas arbitrarentur: in eâque opinione ac ſenſu multo plus momenti in dubiorum temporum inclinationibus variis ad caſuum aduerſorum vim eluctandam, quam in viribus humanis vllis aut opibus collocarent. At o Te felicioribus auſpiciis quam Babylonem, lætioribus quam Ecbatana efficacioribus quam aut Alexandriam, aut Conſtantinopolim, Toloſa conditam, cuius in omni laudis ac felicitatis genere flos inſignis, non Iunoni te litaſſe propter ſalubritatem cœli, vt Crotonem quondam, non Cereri, vt Catanam aut Syracuſas, ob fertilitatem copiámque frugum, non denique aut Religione vt Delum placuiſſe Phœbo, aut profeſsione cultuque Doctrinarum Mineruæ curam vt Athenas meruiſſe probet; ſed potius laudum harum ſimul in te omniū collecta gratia declaret, vni ſummo Omnipotenti Numini charam eſſe te; qui & Iunone melius temperare aërem & Cerere benignius fortunare meſſes, & Mineruâ facilius inſpirare humanis animis rerum pulcherimarum notitias queat. Stulta quippe ſuperſtitio, anilis vanitas, delira Theologia Phanaticorum hominum Deorum turbam & partita Saturni filiis rerum imperia ſomniantium.

Vnus eſt vnus atque idem qui tuetur cœlos, & lucidos illos in perennem motum contorquet circulos. idem qui ventorum procellis, tempeſtatibus nubium, Oceani fluctibus moderatur, vaſtus, ac penetrabilis, cumque omni naturæ corpore commiſtus Spiritus: idem in luce mirabilis, idem in caligine venerandus. cuius æternum cum omni varietate temporis adæquatum Numen ſic in cœlis viget, vt in terris quoque valeat; ſic exterioribus inſiſtit, vt in intima quæque permeet; ſic in Superis extat, vt adyta quoque compleat Inferorum. Hic neque Succeſſorem, vt Saturnus, neque Collegam, vt Iuppiter, paſſurus imperii; neque aut ſpatiis locorum, aut interuallis temporum vim ac beneficentiam interpellans ſuam, hanc gentem, hoc genus, hanc metropolim Tectoſagum, hanc potiſsimum quam nos inſiſtimus regionem partemque terrarum ſibi peculiarem voluit, ſibi charam eſſe declaravit. Argumenta ſiquis poſtulet diuitem me ab hâc quidem copiâ videbit. Proferam lectiſſima ſimul & plurima. Neque ea quæ tardis ad fidem inſinuentur auribus; ſed quæ propriis domeſtici ſplendoris radiis oculis ſeſe omnium ingerant: Denique non ex officinis petita Rhetorum, ſed ex Ordinibus amplisſimis huius vrbis, non è ſedecim locis hauſta, ſed è ſexcentis imo innumeris familiis ac tectis populoſiſsimæ magnificentiſsimæque Ciuitatis huius. Vos inquam vos tot ac tales, non vades, vindices, autores, ſed teſtes, firmamenta, cauſas affirmationis huius hodiernæ meæ atque orationis habeo. Quis enim eſſe poterit qui ſplendorem hunc veſtrum, dignitatem, vultum, maieſtatem intueatur & dubitare poſsit, quin eam ciuitatem cui tam graues Deus, tam ornatos ciues dederit, amaſſe præ cæteris & dilexiſſe videatur.

Itaque quod ad præſens quidem tempus attinet

ti compos ſum. Et perorata & euicta cauſa eſt. cebatque adeo iam iſthinc occupatâ clauſulâ putationis, vobis audiendi patientiam, mihi dindi periculum lucrifacere. Verum modo ſolutam pito reflectere in portum claſſem, neque fas, nee decorum, nec poſtremo facile eſt impetu ſeel capto properantem. Quam præſertim aura ædam fauoris veſtri non hoc concurſu ſolum ac equentia, ſed etiam auſcultandi ſilentio velut afta, blandè prouehit. Sequar igitur hoc pignore eſtræ beneuolentiæ fretus, quo me partim cauſæ eæ ratio, partim delectationis veſtræ ſpes quæam allicit. Nam & ad fidem actionis meæ offiiúmque defungendum non parum attinet, non ijs ontentum quæ hodiéque teneantur erga ciuitaem veſtram diuinæ beneuolentiæ documentis, tiam antrorſum niti in veterem memoriam antiuitatis, & celeſtibus aduerſus hanc vrbem beneiciis repetendis, omnium retro ſæculorum veſtigia elegere. Vobis vero neque pro pietate veſtrà iucundius, neque pro dignitate fieri glorioſius quiddam poteſt, quam ſi de veſtris Patribus quales fuerint, de que huius comunis veſtrum omnium Patriæ caſibus variis, atque in ſummâ varietate temporum ſummâ diuini amoris & auxilij conſtantiâ ſi non magnificè prædicetur, verè ſaltem & cum fide memoretur. Quam quia & genere infinitam & ſpatio immenſam Orationem video, dabo operam, non vitandi quidem veſtri tædij, quod in hoc ſtudio panegyris, in hâc alacritate concurſus, in hac argumenti dignitate nullum timeo. ſed imbecillitatis ſubleuandæ meæ, memoriæque ſuſtentandæ, vt certos iam hinc breuitatis diſtinctioniſque terminos dictioni circumſcribam meæ. Siquidem omnia quæ de diuini erga vrbē Toloſam amoris argumentis a me dicentur, aut ad bonorum largitionem,

aut ad depulſionem malorum, aut ad vltionem cladium pertinebunt. Tum eadem illa tanta licet ac tam varia, totque ætatum ſpatijs diffuſa, ita curſim perſtringam, ita faſtigijs carpam, ita feram & miſcebo generatim, vt iam hinc feriò pollicear, hanc tot ſæculorum mentionem dodrante vnius horulæ fore contentam.

Vnde vero incipiam cum tuum nobis Principium atque ortum, Nobiliſsima Toloſa, fatalis quædam invidia Fortunæ atque oblivionis maligna vis inviderit. Tu tamen eo auguſtior ſcilicet & velut ad æternitatis quandam ſpeciem, obrutâ memoriâ tuarum originum, veneranda. Ne Nili quidem fluviorum Principis caput notum eſt. Tamen ſuſpicari licet conditores iſti tui quicumque tandem, vnde profecti cumque, quove cumque tempore fuerunt, quam Deo cordi fuerint, qui civitatis ſtatuendæ conſilio cœlitus afflato, cœlum temperatiſsimum, Terram vberrimam, aquas ſaluberrimas ſolum amœniſsimum, regionem omni ex parte fortunatiſsimam ſunt nacti. Quid me aſpicitis? Neminem veſtrum huius rei teſtem volo. Inveteravit pudor aliquis & modeſtiæ comendatione probata conſuetudo deprimendi ſua, quorum alioquî nec opportunitates ſatis æſtimamus in quibus nati ſumus, vt pote aſsiduitate vileſcentes; comparatione vero & peregrinationum experientiâ ſerò dumtaxat, idque rarò ſentiendas. Strabo quis ſit intelligitis. Geographiæ Patrem nominavi. Scriptorem in paucis diligentem, diſertum, antiquum, locupletem teſtem, autorem quantivis pretij. Is vniverſi Terrarum Orbis conſiderationem animo complexus, non Ægypto felicitatis palmam, non fortunatis Inſulis, non Arabiæ felici, non illis denique decantatiſsimis Theſſalorum tempeſin, aut Phæacum viridarijs attribuit. Verum ſatis luſtratis

pectatis, exploratis omnibus, Regionem Tecto-
ſagum, eorumque Sedem Reipublicæ Toloſam,
ad Garumnæ dexteram in iſthmo Gallico æquis
inter utrumque mare intervallis ſitam, humanæ
beatitatis domicilium, amœnitatis ideam, copiæ
natale ſolum, aurei temporis reliquias, denique
ἔργον προνοίας ſic enim loquitur, divinæ Providen-
tiæ ſpecimen ſingulare, opus admirabile videri pro-
nunciat. Ita, inquit, agriculturæ facilis, meſsium
fœcunda, pomis varia, metallis opulenta, temperie
præcipua, camporum planitie, montium conſpectu,
fluviorum obſequio mirifico, ſive ad importandas
aliunde vitæ delicias, ſive ad redundnates copias fi-
nitimis & trãſmarinis commercijs magno cõmutan-
das. Quod ſi Deus, vt ſacris paginis perſcriptum eſt,
Iacobi familiam atque Gẽtem præ fratris eius Eſau
poſteris dilexiſſe hinc potiſsimum eſt creditus, quod
Iſraelitis quidem terram campeſtrem, exporrectam,
amœnam, fertilem, Idumæis vero peſtilentes ſolitu-
dines montuoſoſque ſaltus habitandos & colendos
dederit; an non ſimiliter intelligimus urbis huius
fundatores primos præcipuâ quadam apud Deum
valuiſſe gratiâ, quos in aſsignatione feraciſsimæ
pulcherrimæque regionis omnibus cæteris orbis
terrarum gentibus præferendos unos eſſe cen-
ſuerit.

Quid jam de multitudine ſobolis dicam quam
omnes ciuitates in præcipuâ felicitatis parte nume-
rarunt. Ita tamen vt diuini beneficentiæ Numinis
potius quam facultati vlli fœcũditatique Naturæ
ſemper exiſtimarent acceptam eſſe referendam. Ea
tanta tam incredibilis, tam illuſtris, tam per om-
nes vulgata gentes ciuitatis olim hujus frequen-
tia fuit quam ſcriptores omnes admodum qui res
noſtras attigerunt prædicandam imprimis ſibi cen-
ſuere. Age quo nomine putatis Patres olim ve-

ſtros priſcos Tectoſagas, nomine inquam peculiari & proprio quo putatis eſſe vocitatos. Poterant fortes dici, poterant ſapientes, poterant juſti. Tamen præualuit vt innumeri dicerentur. Manifeſta res, illuſtris, trita, luculentiſsimis Scriptorum inſignium locis certa. Poteram interrogare clara nomina, Doctiſsimos viros, lumina ſuorum temporum, Poëtas, Oratores celebres. Sed non placet aut non ſufficit priuatus autor. Senatus imo Reipublicæ ejuſque omnium Principis autoritatem hujus dicti fundum habeo. Romam cum floreret in imperio ſuas quas Toloſanæ Reipublicæ deſtinabat ita ſolitam inſcribere literas ferunt: Sorori Toloſæ ejuſque Populis innumeris. Quis teſtis? in primis graues & locupletes duo veteris memoriæ ſcrutatores diligentes Noguerius & Perreria. Qui etiam vt opinor talium Epiſtolarum in antiquis monumentis exempla viderant. Neque mihi magis mirum Sororē Toloſam, quam Fratres Heduos, illi Orbis calcatrici Romanæ ſuperbiæ videri & appellari potuiſſe. Quamquam vt libris autoritas, vt tabulariis fides abrogetur, quid aliud quàm innumeros ciuitatis huius populos dicamus quos non modo impleuiſſe Germaniam, impleuiſſe Aſiam coloniis vetus fama eſt; ſed etiam in vrbes quatuor vno ſimul tempore deſcriptos, non exhauſtos tamen, imo nec quaſi diminutos eſſe viſos. Video rem mirabilem in quâ patimini me paulo forte magis quam mea feſtinatio poſtulat apparere diligentem. Nihil enim tam vereor quam ne quis hęc tam illuſtria confinxiſſe me Rhetoris quadam licentiâ, non ex religioſiſsimis teſtimoniis ſummâ fide recitaſſe ſuſpicetur. Decius eſt Auſonius Poëta Clariſsmus, Romanus Conſul, Gratiani Auguſti Magiſter. Is & quia Burdigalæ natus, ibi diu vixit, â viciniâ ſcilicet habuit vt non neſcire res Toloſa-

nas poſſet : & ab æmulatione fortaſſe , malo inter finitimos facili, vt eas ſibi ſupra verum non putaret eſſe prædicandas. Ille igitur quodam loco ſuorum Operum vbi non ex conſuetudine Poëtarum ſed Hiſtorici fide loquitur , affirmat vrbem Toloſam paulo ante quam ipſe hoc ſcriberet ex ſuâ infinitâ iuuentute quatuor vno tempore condidiſſe & impleuiſſe Ciuitates , quintamque ipſam metropolim nihilo tamen plenam minus conſtipatamque remanſiſſe: Incredibilem enimuero copiam & ſi rectè quis æſtimet diuini fauoris haud vulgare documentum, ſi non fruſtra ſacris antiqui fœderis Oraculis proditum eſt : quoſcumque vel ipſorum merito, vel ſua liberalitate fortunare Deus olim ac beare decerneret, ijs ſobolis numerum amoris ſui pignus eſſe voluiſſe.

Verum hanc felicitatem tantam non pergam efferre vehementius donec ſcrupulum exemero mentibus veſtris quē ſumma veſtra peritia rerum humanarum gratulationi huic interiicit. Quotus enim quiſque non dictum illud ex communis experientiæ vſu in priuatæ prudentiæ atque æſtimationis ſenſum arripuit : Non eadem eſſe optima ferè quæ plurima : imo graue ſuſpicandi vitij præiudicium numero ineſſe; raróque cum luxurie ſobolis & effluente copia ciuitatum probitatem ciuium paria facere. Accedit eodem illa ſententia Cyri magni: fortium virorum & optimarum frugum nequaquam eaſdem eſſe terras ſolere fertiles. Sed hæc valuerint in Ægypto quondam, atque in Perſide , aut etiam in famoſis illis Abrahami poſteris, quorum cum incredibilis futura multitudo & cœli ſideribus & terræ pulueri compararetur, verax & euentu denique comprobatum præſagium fuit : tanto plures eorum terreſtribus abjectos vitiis quam cœleſtibus illuſtres laudibus futuros, quan-

to definitum ſtellarum numerum, arenæ infinita vis & humi triti puluiſculi ſuperaret. Noſtri vero Tectoſages, mira res! & ſapere cum paucis, & abundare cum numeroſiſsimis potuere. Nec eorum ager fœcundior frugum vberrimarum, quam ciuitas frugaliſsimorum hominum fuit. Nihil ibi turba turbulentum, nihil non exactum non caſtigatum populus habuit. Virtutum etiam plenior Toloſa quam capitum fuit. Fortitudinem requireres, tanta erat in Toloſatibus priſcis, quantam in transrhenanis Prouinciis omnibus (quod ijs Cæſar tribuit) ſubiugandis oſtenderunt. Quas etiam vaſtiſsimas regiones ajunt ex eorum deinde heroum genere atque propagine Germanam illam Martis ſobolem quæ iſthic floruit, atque illa robora virorum Romanæ ſemper formidata potentiæ protuliſſe. Quamquam virtutis bellicæ Tectoſagum non minora fortaſsis documenta dederit Aſia, quæ non modo victricibus expeditionibus illorum nobiliſsimas Prouincias, ſed Fidei atque Clementiæ, Iuſtitiæ vero præſertim, amorem ac prædicationem immortalem dedit. Verum peregrinari non juvat etiam apud conſanguineos. Tectoſagas Aſiaticos in Oriente relinquamus: nos habitemus domi, vbi tum jucundiſsima naturæ bono, tum diſciplinæ ordine tranquilliſsima vita eſt. Non ibi largitiones ambitionis, non ſectas partium, non obtrectationes invidiæ, non iudiciorum corruptelas, non perfidiam periuriorum, non empta ſcelere privilegia videbimus. Replicaſtis annales veteres, Maiorum acta verſaſtis, monumenta cognoviſtis. Num quam illic ſeceſsionem Plebis, ſuperbiam Nobilitatis, Magnatum diſcidia, nocturnas teſſeras proditionum, ſeditionum manifeſtam vim, polluta civili ſanguine comitia meminiſtis? An non contra domos potius pudicitiâ ſanctas, fora iudicijs ſevera, comitia ſuffra-

gijs libera, Senatum Conſilijs ſalutarem, plebem obſequio docilem, commercia iure ſecura, Innocentiam legibus tutam, Templa religionibus caſta, gratulari potuiſtis. Neque enim huc multitudo latronum, impunitatis ſpe, aſyli promulgatione collecta, coniugia raptibus, victum prædis paratura convenerat. Nullus eſt in huius Hiſtoriâ Reipublicæ Gracchus aut Marius, nullus omnium miſeriâ Sulla felix. At frugalitate Fabricij, verecundiâ Camilli, virtute Scipiones, Catones Sapientiâ ſanè multi. O cæcam igitur verè Fortunam, quæ tali, tam benè moratæ, tam bonis civibus refertæ civitati Terrarum imperium non obtulit! Imo me imprudentem ac penè impium qui culpam in eo Fortunæ conqueror, ubi divinæ Providentiæ atque in hanc civitatem benevolentiæ vel clariſsimum documentum eſt. Habuerint ſibi Babylon, Carthago, Roma regimen rerum iniuriâ vſurpatum, tyrannide geſtum, calamitate oppreſſarum Gentium, victrici crudelitate, atque inſolentiâ ſtabilitum. Toloſa non extortum, ſed delatum, beneficijs eblanditum, non vectigalibus trucem non armorum ſtrepitu tumultuoſum, ſed pacatâ dignitate tranquillum, in finitimas latè gentes iam olim obtinuit principatum. Meminere pluribus locis Hiſtoriæ veteres; Romanorum illos dico temporum annales, meminere Toloſæ civitatis; numquam vt parvæ, ne mediocris quidem, ſemper vt primariæ atque regnantis. Imo quoſdam video qui per caliginem oblivionis altius in veſtratis Hiſtoriæ capita retro moliti perquiſitionem ſunt, regnatum iſthic eſſe memorantes ab antiquo, dynaſtiaſque adeo Principumque nomina recenſentes, Iſauretum, Toſinum, Belletum, Aquarium, Galateum, alioſque plures. Quibus ut ſuam equidem ſartam atque tectam autoritatem velim: ita ſecurius arbitror Orationem

meam in exploratis iam confeſſæ memoriæ locis habitaturam, quam per obſcura confinia mythici temporis micabundam in tenebris conflictatum iri. Nam afflictis ſub Honorio Romanis rebus Nobiliſſimum inter omnia illis temporibus Gothorum regnum ſcimus eſſe conſtitutum, cuius Regia civitas merito ſuo delecta Toloſa noſtra eſt: quæ per annos ferè nonaginta Vallia, Theodorico, Thoriſmundo, Evarico, Alarico Regibus non modo Celticæ ac Narbonenſi Galliæ, ſed pleriſque etiam Hiſpanijs imperavit. Quid poſtea decantatis illis ac latè inclytis regnata Comitibus, quam multis ſæculis modeſtiori nomine, nihilo minori ditione, aut poteſtate dominata eſt: quorum etiam ductu non ſemel vetera illa exempla domitorum Aſiæ Tectoſagum ſacris in Terram Sanctam expeditionibus uſurpavit. Id agere nimirum & ſemper & vbique perſeverante Deo vt ſplendor, dignitas, opes, fama, gloria, celebritas, ſibi chariſsimæ Civitatis per omnes ætates propagarentur. Quam ad eandem benevolentiam haud dubiè retulerim, quod exorienti tum commodùm & rebus geſtis effloreſcenti Francorum regno ſe inter primos adiunxere Tectoſages, præſagio iam tum eiuſmodi futuræ quondam eius magnitudinis occupati, vt parere illis quam præeſſe alijs non minori ſibi gloriæ ac commodo fore putarent. Vtique merito, cum etiam hodiè tanto intervallo temporum clade gaudentes ſua videamus hoſtes Franciæ, convictáque vanitate metus præteriti ſibi quod capti ſint gratulantes. Hæc tua divina victoriæ ratio eſt Ludovice Regum maxime, ſalutem deſperantibus obtrudere, vincula invitis frangere, honorum copiam indigentibus per vim oggerere, dignitate ornamentiſque cumulandis, confeſsionem extorquere ſubiugatis, ſibi vinci optimum, non oppugnari miſerum fuiſſe. Verum

Atrebatum illa civitas cogenda tamen fuit vt felix fieret. Toloſa noſtra Clodovæo ſe volens repræſentato conſilio, alacritate libera, dedidit. Non prius tamen quam is eiurato dæmonum cultu, Chriſti ſacris adſcitis, Chriſtianiſsimus eſſe ceperat.

Vbi licet agnoſcere aliud eximium ſupra cætera quæ hactenus diximus beneficium divini Numinis erga urbem hanc. Num quis eſt enim qui dubitet ſana cognitione Dei Religioniſque veræ caſtis ritibus, nihil dare hominibus optabilius Deum, nihil indulgere poſſe præſtantius. Iam ut nullam fidei tribuamus partem opinionibus illorum qui ante reparatum Chriſti ſanguine genus humanum viguiſſe inter noſtros Druydas, vnius veræ divinitatis ſyncerum cultum non ſine argumento ſuſpicati ſunt: illud extra controverſiam eſſe poſitum video, inter primas Galliæ civitates Toloſæ Sacrum Evangelij lumen oblatum. Quod ex animi divini ſententiâ certáque deſtinatione datum eſſe munus, nihil magis, quam ejus tuendi cura mirabilis, declaravit. Dicam equidem quando ad eam partem me ipſa diſputationis fortuna detulit, ex tribus illis initio deſcriptis in quâ divinum erga Toloſam amorem amolitione calamitatum me demonſtraturum eſſe promiſeram. Suſcepit iam ab Heroicis Eccleſiæ temporibus divo Interprete, Saturnino Toloſa fidem & Religionem Chriſti. Hoc deinde ajo: nihil ſibi ad omnem præcavendi diligentiam reliqui deinceps feciſſe Deum, quo defectionis ab eâ periculum removeret. Age Gothi Rege Vvallia Toloſæ Sedem imperij ſtatuunt. Ariana hæreſi furens natio, rectè ſentientibus perinfeſta. Sed barbaris & victoribus inſperatam Clementiam objecit Numen, ne faceſſerent negotium Catholicis: Sed, vt Salvianus hoc affirmans, loquitur, Deû in alienis quoque Sacerdoti-

bus adorarent. Itaque integerrima in Orthodoxâ ſide tota illa tempeſtate ac dominatione Gothicâ Toloſa perſtitit. Quod tum illuſtriſsimè declaratum eſt, cum Epiphanio Ticinenſi Epiſcopo Catholico ab Imperatore Nepote ad Evaricum Toloſæ Regem maximè impium legato miſſo, adeo totus populus hæretico Tyranno neglecto, Orthodoxo Epiſcopo ſe palam applicuit, vt ejus Hiſtoriæ Scriptor Ennodius, ſatis eam quidem rem mirari non poſſe videatur. Narrat autem inter alia diſcedentem Epiphanium tanto concurſu proſequentium cohoneſtatum, vt profectis ad id officium ferè omnibus deſerta aliquandiu civitas & quaſi deſolata remaneret. Aliquot deinde poſt ſæculis (ſæcula enim ipſa durabat tum Gallia ſine monſtris) Cum Henricus quidam homo nebulo obtrudere præſtigias pravæ doctrinæ caſtæ adhuc & quaſi Virgini fidei Toloſatium inſtituiſſet, non vulgare remedium graſſanti perniciei oppoſitum eſt: Sed qui vnus omnium ea tempeſtate longe clariſsimus ac Sapiẽtiſsimus vir Bernardus Claravallenſis Abbas extitit, is repente omiſsis omnibus ex remotiſsimis terris accurrere ad id periculum trepidè juſſus eſt; Deo manifeſtè ſaluti ſuorum præcipuo ſtudio conſulente. Sæculo exinde altero conjurat Orcus iterum. Erumpit ex inferis furialis vis. Afflatur è viciniâ fœda lues Albigenſis erroris. Ingrati ſimus erga bẽneficentiam Servatoris Dei niſi fateamur aliquanto etiam vltra minas & periculum hoſtiles tum impetus in peſtem Toloſatium proceſsiſſe. verè labis etiam aſperſum eſt aliquid & cladis acceptum, ſtum in novitatem à permultis; apparebatque pernicies, niſi qui ſemper alias in articulis periculorum, tum quoque velut ex machinâ Deus adeſſet. Atqui Conſtantinopolim aliquando perditam idem paſſus eſt, Antiochiam bonis ereptam, cor-

ptam Alexandriam. Quid dico vrbes ſingulas? egna ipſa tota Africæ, Aſiæ, Græciæ, Macedoiæ, Thraciæ, condonata Chriſti perduellibus uotidie gemimus. Iamne parum illuſtre eſt meori loco gratiæ apud Deum quam civitates, oras, egiones cæteras Toloſam eſſe. Non negligit periulum, non diſsimulat ſtudium, non differt præſiium. adeſt, advolat, conſulit, Albigenſium ſceleri c ſacrilegio præſens auxilij ſui numen opponit. Tum velut pro capite ac rerum ſummâ certamen ſſet, quidquid vbique virtutis præcipuæ fuit ex mnibus terris rapidè convocat. Præſto eſt exercitus eleſtibus iuſsis ex Hiſpaniâ Dominicus Vir ſanɫiſsimus, divinis miraculis & celeſti eloquentiâ ollens: ducit exercitum cruci devotum Ludovius Nonus è Franciâ Gallorum Rex ille Sanctiſsimus excitatur aliunde novus Maccabæus Simon Montefortius; Amalecitana illa & pugnātis Ioſuę cum quinque Regibus miracula renovātur. Nulli rei, nulli operæ, nulli conatui parcitur. Intelligeres periclitari Toloſam. Scitis cætera: neque enim hęrere diutius hoc loco poſſum, jam pridem ad majora revocatus, quo veſtra credo equidem ingenia prævolarunt. Quid enim in hoc toto genere divinæ contra hæreſes protectionis, quid per Deum immortalem illuſtrius, magnificentius, admirabilius geſtum vmquam eſt, quam quod Superiori ſæculo, Patrum penè memoria, longè ſupra omnem facultatis humanæ rationem, ac ſuſpicionem ſpei, certè divinitus patratum in hac vrbe ſcitis.

Extiterat vltimus Erebi partus, impura, deteſtabilis, Dei contemptrix, Regum violatrix, divinorum humanorumque calcatrix omnium exitialis Hæreſis. Sentires extremam impreſsionem furialium dæmonum ex meditatione tot ſæculorum in hanc ſenectutem Eccleſiæ atque horam mundi no-

viſsimam erupiſſe. Deſtructa paſsim templa, aræ proſtratæ, Sanctiſsima myſteria ſacrilegijs contumelijſque polluta. Capta Lugdunum, Occupata Rhotomagus, Turbata ſeditionibus & Hæreticis haud fruſtra ſperata Lutetia, Gallicæ omnes vrbes primæ magnitudinis vna excepta perculſæ ac perdita ferebantur. Vrbes dico? Totæ Prouinciæ deficiebant. Triſtes quotidie nuncij. Novæ ſubinde clades, novi metus, nouæ cædes Sanctorum, expilationes Sacrorum, ſtupra Religionum deplorabantur. Præceps in exitium lubrico male ſuadæ novitatis, incumbentibus furijs, impetu irrevocabili mundus ruebat. Quos tum arbitramini ſermones quam trepidationem deſperationemque Hominum fuiſſe. Actum eſſe profecto, præterijſſe præclara omnia. Nihil ſpei, nihil ſolatij ſupereſſe. Rebellaſſe in Chriſtum Angliam, Regna Septentrionis illa famoſa conſenſu à Bonorum partibus abijſſe. Vix ac ne vix quidem teneri Galliam, certamine ac propugnatione paucorum nondum ſe univerſam eſſe Calvini fruſtra iam in ſupremo Religionis anhelitu conteſtari laborantem. Sanctam adhuc quidem eſſe Toloſam: cæterum appellationis tam diuturnæ tamque magnificæ finem atque obliterationem inſtare non dubiam. Quippe illò accitis vndique impiorum agminibus, acie ſtructa, vexillis erectis, tamquam in belli caput vltimūmq; ſanctitatis perfugium, coniurata perduelliū natio ſcelere ardens, inſtigata dementia, rapiebatur. Quærebatur fama partibus, ſeceſsioni dignitas, arx nefario bello, novæ Reipublicæ Metropolis. dignum demum quod Romæ opponeretur Toloſæ nomen, præ illa Paludis ſuæ nebulis obruta Geneva Phanatici loquebantur. Quid quæritis? admoventur acies, occupantur oppida finitima. Vicinæ vndique urbes Hæreticis patent: denique ignaris omnibus Bonis, pau-

tis improbis agentibus, intempeſtâ nocte Calviniſtarum exercitus in urbem admittitur. Imo in arce conſilij, in Capitolio, ubi defenſionis ratio, ſpei ſumma, propugnationis apparatus, ſalutis præſidium civibus erat: ipſo inquam in Capitolio Hæreticorum copiæ ferociſsimæ, numeroſiſsimæ, in cædibus atque incendijs exercitatiſsimæ collocantur. Non jam pro vallo periculum, non ſanabile malum, non ſpei patiens dimicatio, non denique ad Triarios belli fortuna, ſed ad reſtim exitiumque pervenerat. Bona verba. perire non poteſt quod Deus curat. Vt parum proſunt excubiæ fortium ad cuſtodiam Civitatis niſi Dominus propugnaverit: ita quamlibet acres pugnantium impetus evanidi concidant neceſſe eſt, infectique, reflectantur, ſi pro muris etiam ſtramentitijs, pro civibus etiam iunceis divini favoris ac patrocinij veluti clypeus ſeſe quidam oſtenderit. Conclamata erat improborum victoria, bonorum ſalus, cum affulſit opportuno momento cœleſte numen, & ſi umquam alias amoris divini ſingulare documentum. Senatus trepide cogitur, pauci pro aris cives & focis coëunt. Expeditur conatus repugnandi primo temerarius, deinde felix, ad extremum victor Triduò verſatam intra viſcera ſtygiam peſtem Toloſa civitas ſalvâ rerum ſummâ, Republicâ, Religionibus ſalvis tandem incolumis expurgavit, ejecit, evomuit. Cuius auxilio, dubitate: ſi quæ longè ſupra humanam vim admirabiliter efficiuntur, alteri quam divino robori atque potentiæ tribui queant. Quis jam non intelligit, videt, ſentit, fatalibus firmamentis erectum ad immortalitatem Toloſæ ſtatum, quæ non in Legibus aut in opibus durandi cauſas, ſed in decretorum cœleſtium privilegijs habeat poſitas. Nam Rempublicam huius quoque non Religionem ſolam, ſtudioſiſsimæ ſum-

mi Numinis tutelæ comendatam eſſe quis tam aliud agens annales veteres inſpiciat ut non paginis omnibus manifeſtò cernat. Mihi præclarum fuerat & facile ire per ſingula, niſi promiſſa brevitas aurem velleret, reſque ad dicendum ampliſsimas obtereret anguſtijs, cogeretque perſultare properantem. Vandali fœda gens Europæ atque Africæ cæde cruenta, ſpolijs gravis, Toloſam obſidet atque oppugnat infinitis copijs, nullâ re munitam niſi Dei patrocinio Civitatem. Proruunt vallum, coæquant foſſas, ſuperant iam mœnia victores barbari. Occurrit Exuperius favore Numinis omen nominis ſanciens. Inermis dimicat; aquæ ſparſione repellit, precibus belligerat, votis vincit. Quis non audivit, non admiratus eſt, non in ipſis Orbis finibus quo poſt hominum memoriam inopinatiſsimi ſucceſſus perlata fama eſt, Toloſam Deo Chariſsimam gratulando prædicavit?

Dicet aliquis numquam ne igitur Toloſa capta? Eſt ſane. nam quid diſsimulare attinet vulnera: & vana nos gratulatione lactare. Annus erat Vrbis Romæ Conditæ Octavus & quadrageſimus ſupra ſexcenteſimum cum Q. Cœpio Romanus Conſul Toloſam expugnatam rapaci magis quam forti exercitu avariſsimè diripuit. Nimirum non ſemper ab ijs quos diligit nefarias ſceleratorum prohibet manus Deus. Qui ſuum quoque Filium illum unicum, quem ſibi eſſe chariſsimum etſi res ſatis loquebatur, tamen ſemel iterumque conteſtatus erat, ludibrijs impiorum & crudelitati non exemit. At enim in quo igitur ſunt eximij quos eximiâ benevolentiâ Numen amplectitur, ſi promiſcuè filij cum fugitivis, integri cum inceſtis, iniuriæ patent? Latum amborum enimvero & nobile diſcrimen. Quippe aliquorum divina Nemeſis clades imperat, aliorum ad damna connivet, ſuorum vero,

iniurias & detrimenta, vtique ſerius, ocyus, ſemper vlciſcitur, Hieroſolymitanum ærarium Craſſus expilarat. Paulo poſt victus à Parthis ſacrilegam avaritiam ludibrio crudelitatis barbaricæ luit. Sacro quippe ſancta & Deo chara illa civitas. Quæ deinde tamen vbi ſe injuſtiſsima Filij Dei cæde polluiſſet, quadraginta annis furias vltrices, & ſupremam tandem à Tito Victore paſſa cladem eſt. Vultis exploremus igitur ad hoc indicium benevolentiæ tertium, ſic enim ſupra numerabam, quomodo animatus erga veſtram hanc patriam Deus fuerit? Romano illi Conſuli veſtro prædoni. Num ſucceſsit? num impunè fuit ſua victoria? Forſitan ſpolia delubrorum & Garumnæ ſimulacrum cum ferculis gazâ barbaricâ ſpecioſis, & Captivorum pompâ in Capitolium triumpho trahens Tectoſagici deinde cognomine ad ſempiternam gloriam inſignitus eſt? Vovere quidem talia furor, ambitio ſomniare, temeritas concupiſcere potuit. Potiri quidem vt poſſet ac conſequi ſacrilega cupiditas multum abfuit. Nondum ſe annus verterat à Toloſa captá. Neque dum à Prouinciâ deceſſerat Cœpio, quamquam legitimo tempore defunctus Conſulatu, ſed NarbonenſemProconſule moderabatur: cum à Cimbris ac Teutonibus oppugnatus Cajum Manilium ſucceſſorem. Conſulatus cum recenti exercitu venientem ſibi perterritus applicuit. Demens qui humanis dumtaxat adverſus cœleſtem iram præſidijs niteretur. Senſurus mox quanto facilius innoxij pœnâ nocentium implicentur, quam illorum vel potentiâ vel reſpectu quidquam ſacrilegis cœleſtis vltio gratiæ faciat. Dies aderat ſupplicio deſtinatus. Carnificina non prælium fuit. Internecione delentur Romanorum & Sociorum omnino quantum in exercitu fuit, octoginta millia. Quia vero pars aliqua fatalis prædæ & auri Tolo-

ſani contagio lixas quoque ac calones infecerat; etiam in hos præter fas, præter morem belli, maniſeſtiſſimâ Numinis irâ crudeliſsimè ſævitum eſt, ut ex illâ fæce ſervulorum inermium ad ſexaginta millia trucidati ſint. Gratias Tibi ſumme Rerum arbiter, Providentiſsime Curator, acerrime vindex tuorum Tectoſagum, Deus ſumme. Iam nec diſsimulationém nec morâm voluntas iſta præclara in nos tua patitur. Non ſinis dubitare homines de ſtudio erga nós tuo; ac ne mediocribus quidem indicijs ſatis id habes oſtendere. Terram vberem, cœlum purum, ſitum opportuniſsimum, vſum ſalubritatem, amœnitatém aquarum, ſobolis incredibilem numerum, Regni apicem, imperij dignitatem, virtutes, Religionem liberaliſsimè conceſsiſti. Non eſt ſatis: eadem ut propria bona perpetuaque eſſent acri ſollicitudinis vigiliâ quaſi procinctus ad noſtrum ſemper auxilium excubaſti. Quin etiam ſi qui vllo pacto nos violant, eos per ſæculorum omnium memoriam exemplum horribile iracundiæ tuæ traducis. Quo improborum cupiditates admoneantur quanto periculo in ſacram Gentem clientelæ Numinis intimæ præcipui amoris privilegio vindicatam offenſuri ſint. Miſerum me in iſtâ copiâ orationis, anguſtijs temporis, cum extremis dicendi ſpatijs conflictantem, quam vndique multa admonent, ſeque oſtentant, ac præteriri conqueruntur. Erit qui iuriſdictionis poteſtatem, qui Senatus amplitudinem, qui literarum decus, qui Academiæ vetuſtatem, inter Toloſæ bona ſileri non debuiſſe meritò arguat; ſed tractationes proprias tantę res petebant. Alij ſervatam ab Athaülphi rapacitate Toloſam Honorij Temporibus audituros ſe à me crediderant: dicturus eram niſi temporis brevitas vetuiſſet. De Fonte ſanguineo in mediâ plateâ Toloſanæ urbis Evaricum Tyran-

ium Toloſatibus infeſtiſsimum vlciſcente, multis verbis prædicandum fuerat, tacendum eſt tamen. Quid de Abderama & Saracenis piaculum violatæ Toloſæ in Turonicis campis Trecentorum eptuaginta quinque millium internecione luentibus? ne commemorare quidē vacat. Iam Attilam Dei flagellum Dei delicias ac filiolam innoxiè præcriiſſe Toloſam viro doctiſsimo Collegæ meo cras ſto argumento mira quædam diſputaturo condonare cogor. Infinita quædam erant talia, ſed vos gnoſcite, ſi ſervire iudicibus malo quam cauſæ, & prævaricari quam aquæ mihi conceſſæ lapſum excedere levius habeo. cum præſertim ad victoriam propoſiti ſatis eſſe ſtatuam commemorata iam multa, Certè enim aut amoris indicandi nulla vis, nullum in beneficijs momentum eſt, aut fateri cogimur illam Rempublicam quam bonis omnis generis ab initio cumulandam, quam à periculis protegendam, cuius dolores atque iniurias ſibi perſequendas Deus Optimus Maximus clarè ſumpſerit; utique illi charam dici oportere. Quid hic ipſe dies num à priſco tempore degenerat. Tota conflagrat internecinis bellis Europa. Altiſsimum hîc ſilentium. Fundatiſsima pax. Otio tranquilliſsimæ quietis molliſsimo fruimur. Tutus, vt ille ait, bos rura perambulat, nutrit rura Ceres almaque fauſtitas, culpam pœna premit comes. Verè nobis hæc otia Deus fecit. Hiſpania civilibus intus ſciſſa diſcordijs, externis oppugnationibus undique quatitur, Belgium Noſtrorum quotidianis victorijs patet expoſitum. Germania miſerabile incendium tricennis belli univerſà cinis & rogus unus, cuius ne ambuſti quidem torres & fumoſæ reliquiæ ardere deſinunt. Lotharingia deſolata, Burgundia perdita, Sabaudia funeſto malo civilis diſcordiæ lacerata. Italiâ partibus diſtracta, ſuſpicionibus anxia, cam-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

pus communis Martis, Contrarijs metata caſtris, externos apud ſe committens, certâ conditione patiendi, nulla ſpe vincendi, terroribus miſera & luctibus conſeneſcit. Hic interim ut in Orcheſtra tamquam ad ſpectaculum Tragœdiæ conſidetur. Noſtrum negotium eſt Triumphis plaudere, Laureatos Nuncios excipere, ſupplicationes ſucceſsibus dare: feſtis ignibus luces beatas huius tam nobis ſecuri quam funeſti alijs augere temporis, quas nec vicinorum incendiorum teter vndique emergens fumus obnubilat. Et iam mirabimur Septem Apoſtolos, tot Martyras, tot Confeſſores prærogativam divini amoris in deligendâ ſede ſuis reliquijs ſecutos eſſe. Hortus ille domicilium innocentiæ primæ ac felicitatis humanæ ubi terrarum ſit magna indagatione curioſorum hominum quæſitum video. Ego cum audiam ubi ſanctorum animæ congregatæ ſunt ibi paradiſum dici cœleſtem: vbi ſancta corpora tanto numero collecta veneror, terreſtrem paradiſum eſſe non dubitem. á quo exulare perpetuo dignus eſt, ſi quis tot victus argumentis adhuc tamen vel invidia vel pertinaciâ repugnante noluerit Charam eſſe Deo fateri Toloſam.

# DIXI.

# ORATIO II.

## NVMA IN CRATETEM.

### *ARGVMENTVM.*

*AGITVR de commoditatibus rei nummariæ in commercijs Hominum. ad conformationem vero controverſiæ, inducitur Numa Pompilius, Numorum, vt aiunt, inventor, accuſans apud tribunal Rhadamanti Cratetem Cynicum, qui pecuniam in mare proiecerat. Cauſa tota ſic ludicrè formatur. Citatus ad Tribunal Orci Thebanus Crates de grege Diogenis canis maximus, illuc odioſiſsimâ confidentiâ, erectâ fronte, certus ac renidens, inceſſu magnifico ferebatur. Intellexit Numa quid fiduciam adderet mortuo, & frementium circum multorum adiutus ſtudijs, Cynicum, hunc fermè in modum nihil minus opinantem interrogavit.*

QVæ eſt iſta, malum, tua, Crates, arrogantia? quâ ſpe miſer inſanis? Quid tua illa inceſſu ac ſtatu ſeſe efferẽs, vultu oculiſq; eminens, ſupercilijs inequitans petit ſuperbia? Ecquid ubi ſis circumſpicis? quorum in poteſtate quanti diſcriminis cauſam reus perſequaris, cogitas? Nihil-ne te loci novitas, inſolentia iudicij, magnitudo periculi, nihil præiudicia tot damnatorum, nihil maieſtas iudicum, nihil Deorum ora nutuſque moverunt? Pergis etiam & aures arrigis; & tanquam eſſent ſatur-

naliá ſervus dominaris? Itáne ut olim cibum à Græcis, ſic iam nectar à Dijs eblandiri te dicterijs putas poſſe? Etiam Rhadamanti conſeſſum affectas? Honorem flagitas pœnæ ſecurus?inſaniâ pro conſcientiâ niteris? & homo turpiſsimus præmia flagitas honeſtorum. Quid vobis videtur, Iudices, ferenda res eſt? placet exemplum? huic ſupercilio faſces ſubmittitis? & illudi veſtram etiam ab impuris nebulonibus religionem eouſque ſinitis, ut Heroum & Regum arbitri agyrtæ vni triobolari debuiſſe ludibrium videamini? At quibus meritis ſubnixus tam impudentem ad confidentiam ſurrexit mortuus? An religione præcipuâ fuit? Deorum irriſor, contemptor myſteriorum, hoſtis ſacrorum. At fortitudine præcelluit: qui caſtra numquam vidit; cuíque enſis inſtar fuit & clypei, baculus cum perâ. Luſtravit forſan orbem monſtriſque purgavit, ut quondam Hercules. Qui tamen tot clarus victorijs modeſtius huc ſeſe Iovis filius & demiſſius tulit. An vero hic quoque ut ille Vlyſſes mores hominum multorum vidit & urbes? circumcurſavit ſanè urbes Græciæ cum præclarâ contubernali doctâ hercle muliere, quæ diſciplinæ cynicæ apprimè capax, ineptias omnes pudoris & verecundiæ, præceptis & philoſophiâ profligaſſet. O mores! O ſcelus! Et tu etiam, cœnum, huic luci, horum oculis, os iſtud impurum & attritam frontem oſtentas, qui ſpectacula tuorum flagitiorum in propatulo & meridie, civitatum inculcaſſe oculis Græciâ omni teſte convinceris? Age tantam invidiam quâ laude ſublevas? Homo tuis commodus eras nimirum, & amans Patriæ; quam cum hic qui evertit Alexander ex te quæreret, velles-ne reſtitui? Nihil, inquis, neceſſe eſt, reſtitutæ enim alius forſitan everſor non deeſſet. Eccum officioſum civem! neceſsitudinis memorem, caritatis ac pieta-

tis ideam, bono Civitatis natum; quam ne verbo quidem & aſſenſu cum poſſet adiuvare ad reſurgendum voluit. Vos vero ſtatuite, ſi ſummis honoribus Codrum illum affeciſtis; quâ cruce, quáve rota dignam hanc inhumanitatem nefariam arbitremini. Quid ergò, dicet aliquis, nihil-ne demum eſt quo tantum hic turget? Eſt, Iudices, idque ad rem pertinere arbitror ſi proferatur. Homo hic loco natus humili redegerat ex fortunis tenuibus pecuniam non magnam: mox cum adhinniſſet ad illam Diogenis (noſtis hominis quid ſit) impudentiſsimam petulantiam; quid de pecunia faceret ex eo quæſivit. Ille facetus ſcurra, audita fatuitate ruſtici, occaſionem dicti non neglexit: & quod ſolebat cum iocabatur improbiſsimè, altero ſupra frontem elato, altero infra naſum depreſſo ſupercilio: rem malam, inquit, malè perdas cenſeo. nec quævis pœna ſatis: ſed qualis eſſe in Italia Parricidarum ſolet, crumenæ tamquam culeo inſutos nummos in fluctus abijce. Hæc non illepidè, ac eodem ſale quo Citharoedum ineptum qui voce aſpera cunctos fugaret, Gallum appellabat. Eius enim cantu excitari omnes ac ſurgere. Quóque ab Arquita monitus, removeret ſe: heus tu, inquit, ne arcum quæſo laxa donec me ad ſcopum applicuero, illic ero tutiſsimè. Noſtis pronunciata cætera Nebulonis arguti, cuius vita mimus fuit; nulluſque virtutis fructus alius niſi ridere. At hic pinguior beccefelenus credidit ſimpliciter tamquam Pythagoræ; & de Pyræo nummulos iecit in mare. Hoc unum fecit facinus in vita pulchèrrimum. hinc ſibi placet. hinc ſe iactat. Hoc uno ſe putat meritum ut otioſo ſibi gratuitum in Plutonis Prytaneo, tamquam emerito cani, demenſum decerneretur. Hinc denique ad hanc inſaniam intumuit ut etiam adſpirare ad conſeſſum veſtrum conſortiumque di-

gnitatis, Iudices, audeat. Quod ſi fidem non habet tantum prodigium dementiæ, capite certum oculis teſtimonium. Non cernitis oris duritiem & tacitam fiduciam frontis æneæ? vt ad mentionem nummorum geſtijt? ut non obſcurum eſſe patitur furorem ſuum? vt vos Minos & Æace, quòd Reges fuiſtis & divites, præ ſe deſpicit? Me vero qui uſum nummorum invenerim, dignum eſſe pœna Tantali deierat? Vt erectus in articulos baxeas monſtrat, & utramque peram manticæ, ſordenſque pallium, hircinumque mulcet barbitium illota dextera. Ego vero non habitabo tamen in cura tam tenui, neque ad eam contentionis humilitatem deſcendam, vt homo Rex Populi Romani, accuſationem Mendici unius homuli ſeriò videar perorare voluiſſe. Nonarijs hunc ſimileſque permittam mulierculis & procacitati puerorum. Tum ſi robuſtiori voce coercenda impudentia eſt, noſtris hominibus qui iam ſe ad eloquentiæ decus excitant, hanc Provinciam committam cynicæ proterviæ caſtigandæ. Iamque adeo ex vultu auguror ac nutu muſſantium, non defuturos mox ut ego dixero, qui in iſto ipſo facto proiectæ pecuniæ multa reprehendant. Nepos enimvero ſi voravit patrimonium notatur à Cenſore: Tu quod peius conſumpſeris præmium poſcis. Quid eſt inſaniæ commune cum Philoſophia? Et quæ tandem aut huius tui facti ratio: aut quod virtutis genus ſine ratione? Quid eſt furere, ſi hoc ſapere eſt? Quis hoc umquam Solon, aut Pittacus fecit? Diſplicebat pecunia: dediſſes egentibus. Non tu conſtringendus qui vti nec vis ipſe, nec alios ſinis? Temperantiáne eſt hæc, an robur animi, an juſtitia; non enim vereor ne prudentiam dicas. Nonne immenſâ exagitatum hunc turbulentum tuum oportet fuiſſe animum furoris tempeſtate, vt ad hanc amens jacturam præcipitandam eſ-

ferreris? Hæc alij magnificè ingens enim locus eſt. Mea ratio eſt alia; qui ſic jamdudum inſtitutus: neminem lædere ne meritum quidem; defenſioni rarò neceſſariæ, accuſationi gratuitæ numquam vocem meam commodavi. Num igitur autoritatem teneo ſi taceam? ne nomen quidem tueor meum ac famam: cujus rei diligentiſsimam eſſe decet mortuis rationem. Sic enim prædicatione omnium percrebuit: invectam à me in vſum humani generis permutationem commerciumque nummorum. Qui ſi pernicioſi ſunt vitæ hominum, maculat hæc invidia meos Manes; & veſtri tam honorifici iudicij, omniſque felicitatis hujus amœnitatiſque fructum eſſe nullum patitur. Quare hoc concedite juſto dolori meo vt mihi honeſtatē opportunitatemque inve[illegible] hujus mei, contra Cynicorum, hoc eſt, levium & phanaticorum hominum iniquiſsima iudicia propugnanti, non minus attentas aures atque animos advertatis, quam infenſis modo & oculis & mentibus, ſtolidam abjecti nebulonis arrogantiam deſpexiſtis. Cujus quidē rei, quę veſtra eſt ęquitas incredibilis, ita ſum ſecurus: vt in hâc defenſione vel approbatione potius, atque affirmatione laudis meæ, nota ſuperbiæ mihi potius, quam invidiæ periculum, extimeſcenda videatur. Nihil enim, nihil, in meâ causâ diſsimulandum, nihil clam eripiendum, nihil cuniculis petendum. Vellem etiam plus fateri poſſe ac prædicare de me. Vtinam arrogare mihi poſſem: me primum autorem Rei nummariæ Numam eſſe. Non eſt enim ita. At magnum mihi ſit ſi propagatoris &, ſi forte, apud Romanos inſtauratoris inſtituti ejus pulcherrimi titulum auferam. Quod ne fugiendi cauſa criminis deprecatum me putent Adverſarij, hanc ecce illis vltro copiam mei facio vt totam ejus rei quanta eſt invidiam in me accerſam, depoſcam; ei caput meum famam-

que ſubiiciam. Vadimonium en ſiſto. Reum me offero. Atque adeò palmarij facinoris non judicium expecto ſed præmium expeto. Quæ eſt enim per Deos immortales poſt natum hominum genus res ſuſcepta major, quæ glorioſior, quæ commodior? que vſu ac conſenſu cunctarum ferè Gentium commendatior? Summum illud ſane quemadmodum & primum fuit, genus excitare hominum ę nihilo, & cum non eſſet antea, progignere. Quod immortalis Dei numine ac vi perfectum eſſe ferò ſcimus. Summum hoc, inquam, vt ne cogitare quidem aut ſuſpicari quidquam quantum eſſe poteſt hominum queat vnquam quod ad meritum præcellentis facinoris vel longo intervallo poſsit accedere: Se ſi in ipſius Dei quæramus operibus quod illi tantæ rei comparetur, ſic mihi videtur dici poſſe: providentiam & gubernationem rerum nihilò ad minorem ſapientiæ potentiæque præſtantiam quam ipſam molitionem primam pertinere. Quantum eſt enim infinitam multitudinem certâ devinctam lege fati regere? ſua vnicuique vivendi ſpatia, ſtatus ac ſectæ regionem, ſtudij modum atque induſtriæ deſcribere? commovere, ſedare, impellere, reflectere, tantamque habitudinum, morum, voluntatum, tot diſtractam in divortia varietatem vna ſempiterna ratione æterni trahere conſilij atque ad certum & deſtinatum finem, quamvis contra tendentem invitamque revocare. Atque ego tamen in ea Gubernatione tota nihil æquè admiror atque illam ſapientiſsimo conſilio divinæ mentis conflatam & propagatam inter homines mutui commercij ſocietatem. Cujus vt primos quidem impetus Deus artifex noſtri generis, & primigenia velut ſemina teneris adhuc mentibus natura parens occupaverit inſpergere: negari tamen nequit quin ad expediendam ejus rei facultatem Heroum quorumdam divi-

niora cæteris ingenia induſtriam ſæpe non inutilem contulerint. Nam quis ignorat aliquando tempus extitiſſe quo diſperſi paſsim per ſylvas & ſaltus homines, nulla communione mutui ſermonis, nulla vsûs conſuetudine, pene belluinam agitarent victus cultuſque rationem. Cum excitarunt deſidentes in illa ignavia cœleſtiſque oblitos originis ſenſus mortalium lingua promptiores quidam, qui captos & admirantes reliquos paulatim ſublevarunt ad aliquam cogitationem honeſtatis: collectoſque primum in contubernia, mox in pagos, ad rudimentum ſenſim aliquod civilitatis informarunt. Tum ecce invenerunt alij literas, quibus notiones perceptæ ſemel quarumcumque rerum, tum vulgarentur ad vſum omnium, tum æternitate monumentorum ad Poſteritatis memoriam tranſmitterentur. Miri artificium compendij ad homines regionibus & montibus, atque adeo vaſtiſsimis maris tractibus diſſociatos, imo ſæculorum etiam ſpatijs abjunctos, vna ſocietate ſermonis & pene mutui colloquij committendos. Ac nec iſthic virorum acrium & ſagacium benemerendi de vniverſitate hominum cura conſtitit. Inventa eſt ratio incedendi per fluctus. conjuncta ſunt commercijs disjunctiſsima littora. conciliatæ incognitæ gentes. approbata reapſe cognatio totius humanæ Gentis mutuis vſibus & officijs. Vna in orbe conſtituta ex omnibus civitas communis omnium. Contrahit jam ecce negotiū reciproco commodo Græcus cum Barbaro, Libys cum Thrace, Peregrinus inſtitor cum cive Romano. Vulgantur opportunitates terrarum ad vſum publicum. Mittit ebenum India, ebur Libya, thus Sabæa, amomum Aſſyria. Nec ſoli ſibi Sardinia ferax eſt: & egeſtatem naturæ ſupplente providentia, quæ vbique non naſcuntur vbique abundant. Hæc qui inſtituerunt non

Deorum in loco habendi ac venerandi videantur? Quis iam vero neſcit omnium, omnem huius mercatûs rationem ac ſpem vna rei nummariæ fide atque opportunitate contineri? Illa eſt, illa una diverſiſsimis gentibus, natura, indole, inſtitutione, nihil minus quam locorum ſpatio diſtantibus, teſſera concordiæ, fidei pignus, amicitiæ Symbolum. Neque enim aut ſermone perſuaſus, aut cognationis neceſsitudinis-ve ullius adductus gratia, ſed nummo fretus obſide credit Arabs Sarmatæ, Maſſagetes Æthiopi, Medus Græco. Hic humanitatis autor, conciliator animorum, Magiſter officij, controverſiarum arbiter, vitæ moderationis, & civilitatis apud quoſque vel maximè barbaros propagator nummus eſt. Communio ſermonis inter paucos intercedit. Neque vero omnibus aut per indolem libuit, aut per inſtitutionem contigit eſſe literaris. Peritia iſta librorum, & confabulationes mutæ diſtantium permutatione tabellarum, nèc Thracum quod ſciamus, nec Scytharum certè, ſimiliumve gentium: imo ne Græcorum quidem fuit omnium. Interpres omnium & apud omnes eſt pecunia. Huius quivis Barbari non auditu, ſed aſpectu, dociles fiunt, perſuadentur, obtemperant. Sequuntur quóvis, ad facilitatem omnem manſuetudinem ac diſciplinæ patientiā traducuntur. Et exiſtent poſtea lutulenti de gurguſtijs canes tanta impudentia qui tam opportunum inſtitutum adeóque neceſſarium allatrare audeant, atque adeo removendum à vita deierent, ex uſúque hominum obliterandum? Quid eſt aliud tollere è vita vitæ Societatem? fidem diſſolvere? negotiandi rationem, congrediendi facultatem, peregrinandi ſpem, commutationis communicationiſque uſum pervertere omnem fundi tus atque excindere? Quæ crux Ganeonibus impuris qui reuocare barbariem, propagare ferita-

tem, conſuetudinem abrumpere, humanitatem hominibus eripere, eoſdem ad belluarum immunditiam incuriamque efferare moliantur? Apage in malam rem obſcoenum pecus. Reliquis vero per vos liceat quæſo, Iudices, hominibus contrahere commercia & rei nummariæ compendio vitæ ſibi conficere atque expedire neceſsitatem. Neceſsitatem dico. Sic enim diſputabam hactenus, tamquam hæc res eſſet quam fæx mendicorum improbat, ego defendo; ſic honeſta, ſicque cum humanitatis coniuncta ratione, nihil vt ſit opportunius ad continendam humani generis ſanciendamque concordiam. Nunc illud addo, quod eſt veriſsimum, animam quoque ac ſalutem hominum ita inde pendere, vt neque à morbis & incommodis valetudinis tueri ſpiritum quiſquam poſsit ſuum; neque quotidianam ſibi prouidere copiam naturalis victus, niſi erogatione ac permutatione nummorum. Quid illud bonum quantum eſt? quod hac propoſita labori mercede, excitatur induſtria, otium excutitur. Vigilant homines, laborant, contendunt, agunt feruntque cuncta, & meditando artes extundunt; exercitatione conſuetudinem corroborant, benefactis alios, ſeipſos gloria cumulant. Itaque qui ſpem habendi extorqueat hominibus, idem omnem honeſtam rei parandæ rationem primò in otium abiiciat ignaviſsimum; tum in fœdiſsimam commutet prædandi ac graſſandi licentiam. Ego vero addam etiam quid ſecutus ſim præterea. Quod vobis probatum iri, mihi nihil laboranti de aliorum iudicijs, & certum & ſatis eſt. Sciebam ita proviſum à Diis eſſe vt homines ab hominibus regerentur. Ad hoc nihil æquè eſſe neceſſarium ac venerationem penè diuinam conciliari Regibus apud populos. Cuius rei miram eſſe facultatem in hoc numorum ac monetæ vſu divulgando, & prius cogitando cog-

noueram, & experiendo poſtmodum didici. Ergo vt ſimulatione illa nocturni cum Ægeria colloquij arcanorumque congreſſuum cum Dijs; ita cuſis nūmis, vultúque meo ac nomine æreis impreſſo laminis, quas ad annonam ad cultum ſibi ſuiſque quotidie parandum continuò diſtraherent, prouidi perfecíque callidè, vt admonerentur aſsiduè terendo ac numerando propè religioſa ſibi obſervantia proſequendum eſſe Regem, cuius ſigno atque literis omnia ſuppeditari emolumenta laborum, perfugia periculorum, malorum remedia experirentur. Verum infinita ſit oratio ſi cuncta velit perſequi nummorum commoda. Quid beneficentia diviníus? ſine nummis ea nulla eſt. Quid caritate Patriæ præſtantius? quam adiuvare collatione tributorum cives nequaquam poſſent abſque nummis foret. Iuſtitia iam illa ipſa nonne ad ius ſuum obtinendum, alienum reddendum nummis indiget, vel maximè? propulſare vero iniurias facinoroſorum, & audacium conatus frangere, ſine auxiliari pecuniæ potentia nullo modo poteſt? Quid Temperantiæ mediocritas nonne rei nummariæ modo ac ratione diſpenſatur? Itaque iſtos videmus eius inimicos canum à voracitate adeptos nomen: qui primum inſtar belluarum nulla ſtata veſcendi habent tempora; rem ad hanc laudem ita neceſſariam ut nomen ipſum Temperantiæ ab obſervandis in ſumendo cibo momentis temporum trahat originem. Deinde circumcurſant culinas opulentorum, & in occaſione ſe ingurgitant, dum remedium in futuram famem voracitate præcipiunt, & ingluviem adverſus impendentis eſuriei metum ſatietate præmuniunt. At neque fortitudinis vlla eſt ſpes in mendicis iſtis exanguibus. Omninóque elegantem primum & liberalem inſtitutionem, tum honeſtæ copiæ conſcientiam invadendorum periculorum impetus

impetus requirit; vt hoc meos ſapienter inſtituiſſe Romanos gratuler; ne capite cenſi quibus rei nihil ac nummorum ſit, iii militiam ſcribantur. Quid deinde, ſacrificia Deorum, ædificia Templorum, ſupellex ſacrorum, hoſtiarum ſumptus, Sacerdotiorum dignitas, ceremoniarum ſanctitas, apparatus denique ac pompa religionis, an non collationibus nummorum erogationéque pecuniæ conſtat omnis atque conficitur? Conſulite Deos ſingulos, quem reperietis omnium cui nummi non placeat? Noſter quidem qui his in locis pollet maximè infernus Iupiter ita non obſcurè fert amorem in Nummos ſuum, ut libenter audiat impoſitum ſibi à meis Romanis nomen Ditis: Græciſque bene velit idem non tam affinitatis gratiâ nuptiarumque Proſerpinæ, quam quod ab illis quoque divitiarum & theſaurorum Deus appellatione Plutonis habeatur. Et exibit deinde de vinolento dolio palliatus ſcurra qui iudicia Deorum, emolumenta hominum, conſenſum nationum, commerciorum interpretes, inventores artium, pignora Societatis humanæ, obſides fidei publicæ nummos improbet; atque exterminandos ſi Dijs placet ex uſu ac tractatione hominum autor idoneus & locuples, mendicus nequiſsimus aſſevevet? Digna ſane Diogene ſententia: hoc eſt impuro & flagitioſo cane, cuius tantum os fuit ut divinam etiam omnium iudicio, Platonis illius ſapientiam allatraret. Nummos reijcit Diogenes. Quid enim illi umquam inſano capiti bonum placuit? Si huius valet autoritas, damnandus quoque pudor, quem ex vitâ ille ſuſtulit; atque ad belluinam licentiam publicæ libidinis humani generis honeſtas profliganda eſt. Quid? Vos igitur Acta Diogenis recipitis? vos omnia iſtius Agyrtæ ſcita & dicta præſtatis? Etiam vobis placet quod exceptus hoſpitio à viro Prin-

cipe in ædes ornatiſsimas atque mundiſsimas, cum nitere omnia videret præter hoſpitis faciem, quæ cura gravitatis neglectior videbatur, in eam deſpuit homo conſputabilis, frigidè imo putidè cavillatus, locum in domo tota unum illum minimè mundum viſum ſibi eſſe, idcirco aptum ad ſuas ſordes excipiendas. Quid ſi hoc totum Sectæ ac vitæ genus non Philoſophia ſed quæſtus fuit? ſi hoc captavit hoc ſpectavit unum, vt novitate admirationem, hinc miſericordiam & liberalitatem hominum in ſe verteret? Quid ſi domi egens, poſtquam decoxerat, ad hanc dementiæ profitendæ velut aram inops confugit? Si neceſsitate in conſilium verſa, quod habere vel ſi ſe rumperet non poterat, ſeſe vel ſi offerretur aſpernaturum eſt mentitus? Si denique in furto deprehenſus cum nummos adulteraret, poſtquam diu iacuit in carcere, neſcio quo pſeudothyro emiſſus, in plateas civitatum novum repentè genus lacernatæ protulit Philoſophiæ? ſi inquam hæc ita ſunt omnia, quæ profectò ſunt teſtatiſsima, tamen-ne inſtituta Regum, præiudicia Deorum, unius & alterius phanatici præſtigijs incomitianda condonabitis? An non hoc decernetis potius, quo nihil poteſt æquius gratiusve vulgo ſtatui, ut hic Crates ob violatam rem ſanctiſsimam, profeſsionemque temerè ſuſceptam impudentiſsimæ ſectæ, in mille annos deditus furijs pœnâ Ixionis & Siſyphi torqueatur.

DIXI.

# ORATIO III.

## DE MVSARVM CVM Marte concordiâ.

*Pronunciata Toloſæ* XIV. *Kal. No. an.* MDCXXXIX. *ad pleniſſimam Panegyrim cunctorum Ordinum: ſolemni tum forte inſtauratione ſtudiorum in id tempus incidente, quo tempore tum in Vrbe, tum per totam latè Provinciam, omnia ſtrepebant apparatibus belli Ruſcinonenſis: quòd acerrimè oppugnatæ ab Hiſpanis Salſularum arci feſtinatis undique delectibus copiæ Auxiliares expedirentur.*

SILERE literas inter arma; doctoſque Muſarum cantus Bellonæ fragoribus obrui, credideram hactenus multitudini: neque enim in eam Sectam ſuperbæ Sapientiæ deſcribi velim quæ opiniones quaſlibet vulgi arroganti præjudicio reſpuit: verum in ſeceſſu nuper & ſilentio arcanâ reprehenſus admonitione veritatis, quæ ex volucribus erraticiſque vna numinibus plerumque in ſylvis ac iugis montium ſolitarijs ſe obijcit, revocavi me, dicam enim apud vos liberè, nefaſque eſſe putavi ſæculorum memoriam, hiſtoriarum exempla, vocem experientiæ, naturæ ipſius ac Philoſophiæ ſenſum, celebritate popularis dicti non habere potiora. Ne-

que idem ego tamen conceptam hanc penitus in animo perſuaſionem; & inopinatam velut quandam literati Martis effigiem intimis meis conſignatam ſenſibus, an luci frequentiæque committerem nondiu multumque dubitavi. Videbam diverſam ſentiendi & profitendi cauſam. Eſſe genus invidioſæ veritatis quæ fori lucem & concionis vitet. Sæpéque præiudicatam fidem vulgarium errorum populo & ſermonibus permittere ſolere Sapientes: exactam ſcientiam conſcientiæ Cœtuum ſuorum atque Academijs reſervare. Equidem numquam probavi iactabundam & agyrticam eloquentiam præſtigias in circulis hianti plebeculæ venditantem. cuius eſt ſuadendis incredibilibus fucum potius conari quam fidem facere. A communi ſenſu diſiunctiſsima verboſiſsimè dicere. Laudare Buſiridem; Calvitium, Febrem, Peſtem expetenda hominibus affirmare. Quare ſi quis ex hac libidine reprehendendi vulgi proficiſci me ac prodire in Sophiſticum campum mirabilis argumenti tractatione velle putet, hunc ego per ſi quo humanitatis intimæ ſenſu tangitur etiam atque etiam obſecro ſublevet pudorem meum, & ex conſuetune modeſtorum hominum potius ſtatuat de me quam ex argumenti quadam inſolentia ſuſpicetur. Intelligo apud quos agam, quibus obverſer, quãtæ gravitatis iudicia ſubeam. Valeant in Scholis, iactentur in ludis, conflictentur puerilibus controverſijs Declamatorum iſta figmenta, in cognitione graviſsimi conſilij veritas atque ratio ſola verſetur. Quæ quod longè deducta, non ex vernaculæ conſuetudinis uſu deprompta eſt, non recuſo quin ambitioni tribuatur, ſi voluntate ac iudicio iſta mihi delecta cauſa, non neceſsitate atque officio impoſita eſt. Quid muneris ſuſtineam, quam perſonam geram, quæ ſit mens & ſenſus celebritatis hu-

ius profectò videtis. Nempe hodiè myſteria Muſarum ſunt. Anni literarij *Kalendæ*. quando more legitimo & ſolemni iuventutem ad exercitationem ſtudiorum, ad doctrinarum diſciplinam honeſtarumque vocamus artium. Hoc iſte apparatus, iſte motus, iſte ipſe conſeſſus loquitur. huius rei promulgandæ mihi commiſſæ partes. hoc præconium Orationi meæ demandatum eſt. Quo quidem iſta tempeſtate faciendo longè ſolitò fortius ac vehementius contendenda vox fuerit, ſiquidem eluctari circumſtrepentem undique ſonitum belli & per tantum tumultum exaudiri.

Novi ſcilicet ubi habitent curæ publicæ. audio ſtrepitum cogitationum tacitarum. quo vota quo metus incumbant, ſentio. Quid ſuſpicentur homines, quid loquantur; quid nocturnis diurniſque conſilijs; quid privatis publiciſque colloquijs, quid ſcriptis ſermonibuſque meditentur, moliantur, agant. Vna res in uſu, in ſenſu, in fama, in celebritate verſatur, Bellum. Bellum omnium mentes, omnium linguas, omnium omnes ſenſus, ſolicitudines, ſtudia occupat. Neque iam vt alias fumo procul afflamur incendij, ſed circumſepti flammis undique, illuſtribus ſpero equidem & ſalutaribus, verum circumplexi undique ac comprehenſi tenemur. Quæ urbs. quæ ora. quæ terra. quod mare. quæ Prouincia Galliæ. Galliæ dico, quæ Europæ Regio, quæ Reſpublica. quod Regnum non aut infert aut propulſat vim. non aut aliena rapit aut tuetur ſua. non totis viribus atque opibus de ſtatu, de ſalute, de libertate dimicat? Facite iam valeat iſta ſententia: negotium Pacis eſſe literas. Silere per bellum Muſas & muſſare oportere. Sinite inquam iſta ferri ſermone populari, impunè iactari, liberè ſerpere, ſilentio quoque noſtro, & confeſſione confirmata credi. Tollitur profeſſio doctrina-

rum; vox Magiſterij ceſſat; Eruditio rudis ætatis aboletur; Cauſa conventus huius, curationis noſtræ Provincia, vigiliarum fructus & ratio perit. Nolite enim credere non uſque ad pueritiæ ſenſus intimos hæc quæ aures omnium perſonant tumultuum celeumata pervaſiſſe: neque cum agri & urbes, fori ſpecies ipſa & cœli ſpiritus facies rerum, ipſæ minæ aggerum turriumque moles ſentire bellum, imo denunciare ac ſpirare videantur, ad eum motum ad eum ſonitum non maximè fervidam ac præcipitem concitari corripique iuventutem. Vidi, ſenſi, expertus ſum. Incredibiliter exerti volitant. geſtiunt mentione præliorum, efferuntur animis. Scholarum concertationes umbratiles, incruentum pulverem, lemniſcatas hederas, Apollinares Laureas præ famoſis illis campis, trophæis glorioſis ſpolijs parvi ducunt. Iamque aliqui palam libros abijciunt, arma expediunt, gladios ornatum antea civilem, mutatæ nunc profeſsionis inſigne geſtitant. Nocturnas rixas attentant. De die condictis locis bini quaternique digladiantur. Meditationes hoſtilium præliorum ſeditiones urbanas faciunt. Latrocinij obtentum Scholaſtici nomen & ſimulationem ſtudij habent. Apollinis ſtipendijs Marti militant. Quæritis quid ſentiam? damnare nondum audeo. Quandiu iſtud communis verbi ius vigeat, iure ſuo propemodum faciunt. Credunt hoc quam vulgare tam verum eſſe: non dare arma literis locum nec unum eſſe commune præliorum tempus & ſtudiorum poſſe. Id enimvero ſi manet, ſi recipitur, quo noſter hic labor? Faceſſant literæ. Commodum hic Proceres civitatis ſunt. ſi vocem publicam probatis decernite Patres quod neceſſe eſt; quod ſequitur. Claudantur Senatuſconſulto Muſarum fores quoad Iani pateant. Iuſtitium edicite Liberalium Artium, centuriate iuvenes noſtros,

Adoleſcentes armate, Elementarios ſi placet ipſos à rudimentis abducite. Puſiones quoque cum crepitaculis & crepundijs in fundibularios veliteſque conſcribite. Ceſſabimus interim, operam privatim navabimus, vota faciemus, donec cum Pace Veritas redux è cœlo deſcenderit. Renuitis, conditionem aſpernamini. Poſteritati conſulitis vetera cogitatis. Vna igitur ſpes obtinendi voti in ſcopo huiuſce meæ dictionis eſt. Aut faveatis orationi meæ neceſſe eſt, aut literaria res concidit. Si vincam opportunum eſſe literarum ſtudijs bellorum tempus: ſi fide Hiſtoriarum, teſtimonijs gentium, rationis certiſsimis & Philoſophiæ ſuffragijs Muſarum hodiernos trrnsfugas reos peregero. ſi malè feriatis perturbationem publicam in privatæ deſidiæ prætextum rapientibus hoc excuſationis probabilis tegmen extorſero. ſi veſtro ductu, veſtris auſpicijs iſtam iniquiſsimi præiudicij arcem irrupero, conſtabit autoritas ſua legibus, mores & iura Maiorum valebunt, reſpirabunt ſtudia Humanitatis, tenebimus obſides rediturae Pacis pacatas artes, meliorum temporum deſiderium conſolabimur. ſi nihil aliud vexatis & laborantibus quaſi perfugium oſtendemus in Muſarum Sylvis. Nobiſque locum providebimus ubi per iactationem Patriæ conquieſcamus in ſinu literarum, à ſenſu malorum præſentium meditationibus pulcherrimis avocati.

Quam tamen ſpem ac promiſsionem Orationis meæ nequaquam in eam partem accipi velim ut lactandam ego quidem putem delicatiſsimam opinionem quorumdam ſe pueriliter conſolantium: qui nihil in literis niſi mel merum, niſi cantus & choros Nympharum, & cum Deorum menſis pocula nectaris ſibi fingunt. Nemo ſibi blandiatur. nemo ſe fallat. tetrica fons Palladis. triſtis & corrugata facies Sapientiæ. inamænus & arduus

Muſarum clivus, longi labores, ſeri fructus ſtudiorum. & qui extra natale Paradiſi ſolum pulcherrimæ arboris ſcientiæ culturam inſtituerit, huic ante umbram foliorum, & vindemiæ lætitiam, radicum amarities otioſiſsimè guſtanda eſt. Severa res, inquam, & vehementer ſeria doctrina eſt. attentos acres minimè ludibundos animos quærit, exertos iuveniliter florentes & exultantes aſpernatur. Floralibus latet, per remiſsiones hilarium conticeſcit, ſaturnalia non celebrat, vernas ambulationes, natationes æſtivas comeſſationes hibernas gravitate pluſquã matronali reſpuit. triſtitiâ denique temporis quadam & mœrore delectatur. Etenim vt verno temperamento, luxuriantibus campis, obtrudente ſeſe copiâ voluptatum in otio publico, partim delicijs marceſcunt, & in ſomnos homines reſoluuntur: partim, ſi qui experrectiori ſunt indole, prægeſtiunt, ægreque ſe continent: ita pungente ſenſu incommodi, dubiis temporibus, inſtante metu, minaci Fortunæ vultu velut increpiti, iocis excuſsis, abjectisque nucibus, ſobrietati, officio, ſibi ſe reddunt; diſciplinæque jam fræna patiuntur. Inde adeo doctorum Hominum is ſenſus eſt: accomodatiorem ſtudiis noctem eſſe quam diem. quod & illæ ſcriptorum decantatæ vigiliæ, & lucubrationum nomen ipſum meritúmque docet. Poſtremò idipſum ſecuti Majores noſtri ſeneſcente potiſsimum antumno, creſcentibus noctibus, horridâ tempeſtate ſubeunte, refloreſcere ſtudia voluerunt. Dormiant igitur ſanè cum gliribus totas hyemes iſti Alcinoj nepotuli, qui ſede ſuâ moliri Parnaſſum & in hortos Heſperidum, ſi placet Herculi, transferre cogitant qui niſi ſereno cœlo omnes auræ poſuerint, niſi tranquillo mari fluctus omnes alcedonia ferientur, niſi regnante Auguſto pax univerſum orbem vna componat, otium ſibi aut animum ne,

gent eſſe meditandi. verſabit interim dum iſti ſtertent, verſabit eruditum pulverem Syracuſis bello flagrantibus Archimedes. æternitati ſcribet obſeſſus Hippone victoribus latè Vādalis Auguſtinus, denique perditâ Republicâ, afflicto Senatu, per tempeſtatem ac Naufragium Patriæ Boëtius in carcere Philoſophabitur.

Nimirum ea ſemper virorum præſtantium ſapientiæ vitæque adminiſtrandæ ratio fuit, vt quoties aut priuatæ cladis malo urgerentur aliquo; aut civitatum in quibus viverent comunibus fluctibus jactarentur, illico ad memoriam meditationémque doctrinæ, tamquam ad tutiſsimum portum curas omnes cogitationéſque converterent. Equidem laborantis animæ nullam præſentiorem eſſe quam à doctrinâ medicinam veteri ſenario verè iactatum inter doctiſsimos homines video. vidiſſeque plurimum fateor Antiphontem illum, qui cum doceret Corinthi publicè literas, cunctis ſe animi morbis habere remedia ludi ſui propylæo inſcripſerat. Quonam igitur tempore cenſetis colendas eſſe diligentius has beneficas & ſalutares artes, quam quo malorum omnis generis tanta vndique pernicies ingruit? Quando umquam conſternatiores metus, dolores acerbiores, graviores ægritudines quam hoc turbulentiſſimo tumultu, cum latrocinia, direptiones, cædes aut luctu jam expertos affligunt, aut timore anxio trepidis imminent? Differentur igitur in Pacis reditum Literæ: hoc eſt; remediorum vſu quoad morbi ſponte reſederint ſuperſedebitur. Ego vero ſi numquam audita vox literarum, ſi doctrinæ mentio in iſtâ Republicâ verſata eſſet hactenus nulla. tamen quod Romanos ſcimus graſſante peſtilentiâ feciſſe, vt accerſito vſque ab Epidauro in vrbem Æſculapio peregrini Numinis opem

adſciſcerent, dignum eſſe Magiſtratuum curâ cenſerem huius temporis incommodis vel iſtud longinquum adducere ſolatium doctrinarum. nedum vt procraſtinatoribus otioſis iſtis aſſentiar, qui medicum Apollinem niſi tum demum cum præclarè valebimus, negant eſſe requirendum.

Quos equidem ego homines pudere iam arbitror confidentiæ quâ modo putidiſsimè iactabant inexpiabiles quaſdam Martem inter & Apollinem inimicitias eſſe conflatas: exoririque facilius poſſe Pollucem cum Caſtore, quam literarum & armorum ſtudia ſimul vigere. Itane vero quarum rerum tempora eſſe communia, qualitates geminas, neceſſariam Societatem, oſtendimus, eas atrocibus commiſſas odijs, æterníſque diſcordijs infeſtas inuicem Nugatores vaniſsimi prædicabunt? Agriculturæ locum arma tribuunt, Mercaturam patiuntur, Fabrilem parentem agnoſcunt, Architectonicem ad deſcriptiones Caſtrorum expetunt, à Muſicâ denique lituorum & tubarum cantus, impreſsionum & receptuum ſigna, concionum claſſica, vigiliarum diſcrimina mutuantur; Literas expeditionum iucundas comites, fidas periculorum ſocias, blandas laborum conſolatrices, gloriæ præcones optimas, quamobrem tantoperè deteſtentur? Pictorem Protogenem ciuem Rhodium ferunt, oppugnante ſummâ ope Demetrio Rhodum, ipſis in caſtris hoſtilibus ſuburbanâ domunculâ *Satyrum anapavomenum,* opus inchoatum antea, elaborare tranquilliſsimè perrexiſſe; neque tantorum apparatuum minis deterritum, neque ſtrepitu ac motu ingentis & infenſi exercitus avocatum: ne fragore quidem machinarum ac murorum labentium interpellatum. Percontantique Demetrio vnde tanta ſecuritas homini eſſet, inde reſpondiſſe, quòd ſatis ſciret bellum Regi eſſe cum

Rhodiis,non cum Artibus. Hos homini tenui vulgaris artificij conſcientia ſpiritus dabat. nos ita imbecilles abjectique videbimur, vt diuinas atque immortales res ad primum vani terroris fremitum ceſſare protinus atque interire jubeamus. Corporum mihi credite membrorúmque mortalium humana bella; deque rebus corporeis ad diuiſionem parvis controverſiæ bellorum ſunt. Ingeniorum æterna Pax, toleratumque legibus atque innoxium commercium durat ſemper, commeatu ac permutatione bonorum quorum inexhauſta fœcunditas invidiæ contentionumque avaritiam irridet. Hinc laudes inter hoſtes, & miſericordia victorum, mutuique favores concertantium, animorumque viciſsim amores in pugnis corporum. Vt illacrymentur Marcelli cladi quam fecerunt; & hoſti quamvis acerbo admirationem ingenuam impertiantur Scipiones. Ceteráque ſexcenta quæ ſcimus Humanitatis cum Fortitudine, Palladis cum Bellonâ, Militiæ cum Literis ſigna concordiæ. cujus opinor fiduciâ legati omnes flagrantiſsimis odijs infenſiſsimorum hoſtium vnâ prælatâ tabellâ intervenire non dubitant, non tam, vt apparet, iure gentium, quam autoritate freti ſanctitatéque literarum. Quibus ſi iam quærat aliquis quid adverſarium inimicúmque ſit maximè, ſic habeat: otium, luxuriem, ignaviam quæ ex pace ac ſecuritate procreari, belli excuti ſtrepitu ac terrore ſolent, peſtes earum eſſe longè certiſsimas.

Itaque videte quid interſit inter Adverſariorum opinionem & expectationem meam. Ego huius defungendæ mihi impoſitæ Provinciæ magnam ſpem ac præſidium in hac bellicoſæ tempeſtatis opportunitate collocaveram: cum ſic me conſolarer: ingenioſa ſoboles Toloſatum eſt. Lectam

habebis, experrectam, quidvis ad quamuis arduum ſequi promptam multitudinem generoſiſsimæ iuventutis. Hoc fama ipſa vrbis, cœli temperies, natio Tectoſagum, omen quoddam magni nominis, vetus antiquæ gloriæ poſſeſsio pollicetur. Vnum eſſe poterat ab oſculis & amplexibus matercularum, ac nutricularum nænijs periculum, ne quam ad conſuetudinem ſomnolentiæ mollis ætatis infirmitas adhæreſceret. At iſtud vanum quidem timuiſſe fuerit hoc tempore. Excutiet veternum ac torporem omnem apparatus ipſe hic rerum ac motus temporum; tot exercituum tanti delectus, tot expeditionum & obſidionum ſpes arrectæ, machinarum moles ac minæ, oppugnationum & conflictuum fragor, tormentorum curulium boatus horribiles complorationibus vrbium mixti, Heſperiæ denique undique ingruens ſonitus ruinæ dormitare utique prohibebunt. erigent ſe ad hæc claſsica, movebuntur, agent. rupem eſſe oportet qui torrente multitudinis non efferatur. Paratus licet adverſus reverentiam Diogenes, autoritate tamen & conſenſu civium abreptus eſt, & concurſantibus Corinthijs homo impudentiâ Cynicâ contumax, deſidere ſolus erubuit. Quod ſi cum res loquantur ipſæ voce tamen opus meâ & adhortatione fuerit. præclarus & expetendus dicendi locus, quippe Orationem meam conditio temporum, ſtatus rerum, motus ac ſtrepitus Provinciæ cum maximè interpellabunt tum adiuvabunt comprobabúntque maximè. Quis vero tam lapis non expergiſceretur hæc dicente me. quouſque ſtertimus fortium ſanguis? quorum Parentes Fratresque armatas vigilias in obſeſſarum arcium foſsis excubant? An æquum & decorum creditis jacere ad octauam in plumâ reclinatos & velis mollibus, dum gentiles æqualéſque veſtri ſa-

gis horridi ſub loricis in vallo pernoctant. omnino placet matutinis jentaculis, pomeridianis comeſſatiunculis dulciariorum placentulas, hortulorum vindemias helluari: dùm nobilitas Galliæ ſemireſecta pane caſtrenſi, ſiccis faucibus meridianâ canicula, aquam in hoſtili ſolo tepidam bibit plerumque hoſtium recenti clade coloratam. A page delicias diſciplinam Scholaſticam non ferentium. adeſte troſſuli quibus ſeſſitare in ſubſelliis & auſcultare tam graue eſt. vtrum levius putatis vallum an penſum? haſtas mavultis illorum an veſtros calamos? quid facilius concertatio an prælium? ſuggeſtum declamandi cauſa, an inſeſſum hoſtibus murum expugnandi gratia ſcandere? multitudinem denique dicendo tenere an vincendo perrumpere? Et erunt quos ad Scholæ ſignum prodire pigeat. molliculos nempe Sinas; aut è regia Mogoris Eunuchorum curialium alumnos pingues. an inquilinos Galliæ, nepotes Francorum ſuos quondam parvulos Rhenana glacie durantium? Regis vero ſubditos non neſcio cujus conſeneſcentis in hortulis & lucem non haurientis niſi ſpecularibus tranſcolatam: Sed Ludovici, ſolis inſtar & fulminis ſtrenui, vaſtiſsimi regni finesdiebus paucisſimis obeuntis. arma victricia pene momento locis pluribus oſtentantis, Flandriam, Picardiam, Campaniam, Burgundiam, Delphinatum celerius modo quam hæc dicimus pervagati. Tali oratione mea ſi qui erunt hyperborea glacie frigidiores, incendi tamen neceſſe fuerit. Quid ſimile licuerat in otio publico. pace tua Pax dixerim. Tolerate pene impiam vocem: Optabilis tu quidem, expetenda votis omnibus, ſupra quam dici poteſt ſalutaris es. Sed eſt tamen his ipſis in malis aliquod commodum quo abſentiam conſolari aliquatenus tuam deſideriumque levius ferre poſsimus.

Magna enim magna vis eſt illuſtris exem-

pli. magnum priuatæ ignaviæ convitium labor Principis. Præſertim cum inter armorum ſtudium & literarum, æmulationis certamen quoddam iampridem videatur eſſe commiſſum. Referte enim oculos in omnem retrò memoriam rerum humanarum, ſic reperietis: duas iſtas potiſsimùm in admiratione publica verſatas eſſe diſciplinas; quarum ſumma vtriusque dignitas ancipiti excellentiæ iudicio genus vniuerſum hominum duas in ſectas factioneſque diſtraxit. Militaris induſtriæ Præcipuus vſus, neceſsitas ſumma, decus vbique terrarum eximium eſt habitum. Doctrinæ meditatio perhonorificum ſemper à iudicijs Sapientum ab admiratione multitudinis teſtimonium tulit. valet illa mole corporum; hæc incitatione fertur animorum. Prior artus ad aſperorum patientiam durat; poſterior mentes in rerum abſtruſarum inveſtigationem incitat. Civitates hæc ornat, illa ſervat. Vni victoria, alteri veritas propoſita eſt. Amplæ, magnificæ, præcellentes vtraque, ſeſe mirantes & obſeruantes invicem, ſuffragiáque ætatum & gentium eventu non ſemper ſimili rogitantes. A Græcis omne punctum quodam tempora Doctrina tulit. Fortitudinem ferè Barbari maluerunt. Macedones, Pœni, Romani, neutram aſpernati, fuit tamen cum pluſculum illi victrici ac triumphatrici largirentur. Sæcula ſi perſequimur, Imperium Sapientiæ in primum aureum alterumque argenteum in ſolidum conſtitit. æs heroicorum temporum & ſequiorum ferrum Bellonæ penè totum fuit. Ita tamen vt ætas numquam vlla fuerit qua non in cultis Gẽtibus ac Ciuitatibus, atque adeo in multò maximis ac florentiſsimis Prouinciis, locum autoritatis dignitatiſque priſtinæ egregiè Doctrina tueretur. Itaque Cyros, Aléxandros, Cæſares, communes cum militia alumnos

habuit. Et Licinios, Attilas, Tamerlanes, Bellatores mere Barbaros jactantu æmulæ, , invenit ſatis multos quos opponeret homines ſibi penitus addictos, quorum ingens omni tempore prouentus ne ambitioſiſsimis quidem militiæ delectibus numero inferior eſſe viſus eſt. Neque vero hoc, ſi mihi creditis, temeritate ſortis, non conſideratiſsimo divini numinis judicio, comparatum eſt. Iacet enim ars omnis atque induſtria cui periculum ab æmulo diſcrimenque victoriæ nullum proponitur. Ergo cum intereſſet publicè profeſsiones illas ambas celebrari, quarum alterâ decus animorum, alterâ ſalus corporum nititur, contentio inter illas non niſi divinitùs inſtituta eſt. Inde cum Babyloniorum regnum illud armis inclytum, rerumque geſtarum gloriâ longè clariſsimum effloreſcere cepiſſet; eâdem illâ in civitate ſcimus eodem tempore novam quandam eruditiſsimorum hominum coaluiſſe diſciplinam, qui exquiſitâ chaldaicarum rationum mathematicarumque artium notitiâ, cognitione cœleſtium rerum & contemplatione ſiderum victorias Nabuchodonozorum & Cyrorum humanæ ſapientiæ ditione propagandâ & proferendis rei literariæ terminis adæquarent. Poſtea verò Alexandro magno, clariſsimis ijſque innumerabilibus rebus geſtis rei bellicæ decus cœlis inferente, extitit ejus ipſius familiaris ac penè contubernalis Ariſtoteles, Imperator literarum illi compoſitus, qui contentione indefeſsâ mentis, vigiliiſque incredibilibus, id ageret ne plures imperio Macedonum ſubjunxiſſe Provincias Alexander videretur, quam ipſe velut novas Philoſophiæ regiones ſcribendo ac meditando detegeret. Denique ſi quis faſtorum exinde perpetuam ſeriem & Chronographorum monumenta perſpexerit, nullam vnquam expeditionem majoris nominis, bellum paulo cla-

rius, Imperatorem ſupra communem modum fortem extitiſſe ferè reperiet, quin aut novam per eadem tempora emerſiſſe familiam Philoſophorum aut aliquem præcipuæ famæ floruiſſe Oratorem, Poëtam, Hiſtoricum, ijſdem Comentarijs ſit notatum. vt dubitare nemo debeat quin facultates illæ Principes Præſtantis vnius gloriæ diverſo induſtriæ genere rivales, ad perfectionem majoribus conatibus affectandam mutuo invicem ſui reſpectu profecerint. Ea ſiquidem eſt generoſarum indoles naturarum, vt ſecuritati victoriæque indormiant; certamine ac periculo erigantur. Quare à ſapientiſſimis viris qui rebus quondam publicis præfuerunt, magnâ vtique ratione judicatum eſt: nequaquam in diuturno flore virtutis atque Imperij perſeuerare poſſe civitates, quas in ſolicitudinem propagandorum ac tuendorum finium par æmulorum potentia ſuſpicionibus aſsiduis non vrgeret. Cuius præjudicij vim longius etiam pertinere poſſe video, quam aut neceſſe habeam aut velim. Vereórque ne quis in invidiam me adducat eo nomine quaſi gemino conſilio cum Scipione illo Naſica Carthaginem Romanæ Vrbis æmulam deleri prohibente; ego quoque votis publicis opponam orationem meam, ac bellum tamquam ad rationes ſtudiorum accomodatum, durare amplius aut perpetuum eſſe jubeam.

Ego vero nihil moror tranquillitatem publicam. Non obſto popularibus ſtudiis. Pacem quam omnes expetunt cujus blanda memoria recreamur, cujus ſpe qualicumque illa ipſa incerta civitates Provinciæ Regna reſpirant, quam mutæ ipſæ rupes, agri, oræ terrarum, ac marium quodammodo littora requirunt, deſidero ipſe quoque & advoco. Hoc animo ſunt litteræ vt ne vtilitatibus quidem ſuis detrimento publico conſuli patiantur.

Rogo

Rogo tantum adverſarios hujus actionis meæ, vt ſi qua nobis vel ex malis exiſtat occaſio compendij, ne prohibeant vti; ne ſolatium exiguum laborantibus invideant, ne ſine conſolationis admixtione vlla merè nos miſeros eſſe velint. Etiam incommodorum ſua ſunt commoda. Vt qui algent ſudantve, qui mare, qui viam, qui valetudinem patiuntur, acquieſcant interdum vt in malis, & tanti eſſe fateantur. Nos belli mala deprecamur, fructus accipimus, vt qui propinquorum mortibus affli̇ctantur, hæreditates cernunt. Quis tam imperitus neſcit, aut tam invidus ægrè fert, venenorum quoque ac ſerpentium vſus quoſdam eſſe ſalutares? Quin nos in lucro ponimus quod Fortuna ſi Pacem eripuit, Pacis artes reliquit? Has tenete Adoleſcentes, has capeſsite. Harum exercendarum & otium habetis & cauſam. Nolite committere vt in agitatione omnium ſoli vos deſideatis. Arripite occaſionem celerem & lubricam. Magnarum cogitationum hoc tempus eſt. Vincere lubet. En hoſtes domeſticos ignaviam barbariémque conficite, exterminate, triumphate. Duas res ſibi jampridem Hiſpani tribuunt, Fortitudinem, & Ingenium: primam ne jactare amplius poſsint invicti Regis Noſtri Heroúmque noſtratium tot, tam variæ, tam inſignes victoriæ facient. Alterum certamen induſtriæ Adoleſcentes noſtræ; Mihi inquam ac vobis noſtræque per hunc annum contentioni; meditationibus, vigilijs commendatum eſt. Hanc expectationem ſuſtinet iſta profeſsio; hanc laboris partem in communi propoſito plenè vincendi, nobis Patria deſcripſit. Cogitate ſic nobis dicere præclaras cohortes illas; Ruſcinonenſes inquam noſtros & victores Volcas: Hoc nobis ſumimus vt armorum gloriam quam ſibi falsò arrogant extorqueamus Hoſtibus; vos literarum laudem doctri-

næque palmam ab ii rum gloriationibus ſuperbiſſimis facite vt Galliæ vindicetis. Quis pudor, Auditores, noſter ſi reducibus & palmas oſtentantibus laureaſque ſuas, nihil erit quod ipſi jactemus. Si cum illi quod erat maximè arduum perfecerint: nos vbi non ſudor & ſanguis; ſed contentionis dumtaxat labor modicus paciſcendus fuit, ceſſaſſe flagitioſiſsimè comprobemur.

Atqui cogitandum fuerat non deberi ſolum imitationem illorum exemplis vel auxilium laboribus: ſed etiam mercedem facinoribus præclaris atque victorijs. Nolite enim exiſtimare ex omnibus ordinibus nos immunes eſſe vnos, hoc ſumptuoſo tempore. Stipendia & honoraria militiæ noſtra quoque Studioſorum Natio penſitat. Alij frumentum, veſtem, pecuniam in vſum Caſtrorum exiguntur & pendunt. Gratulationes, laudes, Epinicia, vectigal tributumque literarum ſunt. Hos dulces & illuſtres ſtudiorum noſtrorum fructus, vulnerum ſuorum præmia repetunt à nobis illi Centuriones, illi Tribuni, illi Duces, tot dimicationum conſcij, tot adverſis cicatricibus inſignes, & magno ſuo jure repetunt. Nam otium iſtud pacatum tranquillumque quo hæc dicimus; ipſa hæc ſecuritas conveniendi, conſidendi, auſcultandi, multo ipſorum ſanguine parta nobis eſt. Nempe ipſi bellum in hoſtili ſolo detinent. longè periculum exportant. tumultum in alienas terras promovent, vim nobis intentam ipſi excipiunt. malum à cervicibus omnium in ſua paucorum capita convertunt. Illi ſua nos dimicatione tutos, diſcrimine ſecuros, ærumna felices miſeriáque faciunt. Quid igitur eſt æquius quam vt ſi qua ornamenta virtutis eſſe poſſunt à literis; ſi quod ad ſpem gloriæ præſidium in teſtimonio ſcriptorum, in eorum laudibus exercitationes exprimantur noſtræ, quorum bene-

ficio hæc meditandi nobis ſpatium vacuũ liberumque conceditur. Audienda vero monita ceſſare nos à ſtudiis hoc tempore jubentium, quo vel diligentiſsimos eſſe neceſſe eſt, niſi ingratiſsimi eſſe velimus. Meſsis iſta, ſi neſcitis, literarum eſt; quando vos Muſis ſuadetis otium: vt qui agricolas æſtate falces expedire prohiberent. Quotieſcumque aliquod expugnatum nunciatur oppidum, capta ſigna militaria, victoria acie relata, ſtratagema non vanum, Ducis denique aut militis cujuſpiam glorioſa mors, aut illuſtre facinus, toties præſcribi vobis, Adoleſcentes, argumentum ſcribendi & veluti dictari putatote. Quæ igitur ratio eſt vt cum penſum multò amplius ſolito vobis impoſitum videtis, tum vobis inertiſsimè feriandum eſſe ſtatuatis. Orphei ſtatua conſecrata dudum in Pieria cum ſudaſſet movente in Perſas Alexandro Macedone, conſulti de monſtro haruſpices reſponderunt: multum laborem Muſarum alumnis Alexandri res bellicas præbiturum. Nos Ludovico noſtro fortiſsimo & fortunatiſsimo, tot locis, tam ſæpe vincente, Laureatis vndique nunciis affluentibus nactos nos arbitrabimur occaſionem eſſe deſidendi? Sileant, inquiunt, Rhetores, conticeſcant Poëtæ, claſsicum enim increpuit; Ianus apertus eſt; in procinctu eſt miles, vi res geritur. Præclara oratio. Sic enim & præcones faceſſere jubebis cum fuerint Olympia; & contra quam admonet parœmia, per Anthiſteria Cares exiges. Quouſque non intelligitis quã tempeſtivi Dithyrambi ſunt in epuli, quam tibicines in ludis, tam opportunam Scriptoris, Oratoris, Rhetoris bellatoribus operam & meditationem eſſe. Atque ego hoc ipſo minimè Poëtico, vt iſti autumant, tempore graviſsimos & ſapientiſsimos ampliſsimis in magiſtratibus conſtitutos negotioſiſsimis functionibus implicitos viros video, qui cum

Poëtarum artes apprimè calleant, tamen propter ſummam occupationem verſum nullum ſcriberent ſi pax eſſet, hac Muſis inimica, ſi ſuperis placet, tempeſtate excitatos & admonitos carmina & multa & doctiſsima edidiſſe. Nimirum periculis virtus oſtenditur, virtutis verò cognitæ comes individua laus eſt: cui adornandæ iſta ſunt Poëtarum artificia quęſita. Quæ ſi quis tantum opportuna eſſe dicat in otio, ſimiliter erret ac qui cenſeat, Nautarum artem & Gubernatorum, hibernante mari; ſubductis navibus, in pacatæ demum civitatis gremio proprium locum habere.

Atque hoc quidem eſt hujuſmodi vt quoniam officio præſcribitur, etiamſi minus facile aut iucundum eſſet, non tamen poſſet recuſari. quo minus eſt Aduerſariorum probabilis oratio, qui cujus rei debito perpetuo tenemur, eam inficiari tum potiſſimum ſuadent, cum adeſt nobis eius repræſentandæ præcipua facultas & opportunitas. Neque enim mirabimini cum audietis ex me quod eſtis ipſi ſcilicet experti, ingenia diſertorum novitate argumentornm illuſtrium quaſi provocari. Iam cum iſtud in quo verſamur Belli tempus quod ſtudiis eſſe aptum Adverſarij negant ego defendo: plurima quotidie nova & nobis propria ſuppeditet argumenta lucubrationum & ſcriptionum omnis generis, nonne eſſe putandum eſt hujuſmodi, vt quemadmodum ſculptores habitare perlibenter ſolent regiones marmorum feraces; ita Oratores & Poëtæ hanc tempeſtatem ſuis ſtudiis vnicè opportunam exiſtimare debeant: Præſertim ij quibus non tantum videndū eſt quid ipſis arridere, verum quid alios invitare poſsit atque allicere. Expertus ſcio quam difficile ſit defigere in ſcriptione animos iuvenum ad diſcum atq; ad pilam feſtinantium. Fuit enim cum careremus iſta copia, quieſ-

tente Republica, pace vbique dominante, nunciis nihil novi apportantibus. Dictabam neſcio quid de Cæſare. deliberatlonem Pompeij ante Pharſalicum prælium ſcribere iubebam. Cyrum etiam Xerres ac Darios illos veteres, tum etiam ex Hiſtoria noſtrate magna nomina Carolos & Ludouicos repetebam. quid quæritis? oſcitabant. non afficiebantur. longè ducta & obſoleta omnia neque huis ſæculi aſpernabundi muſsitabant. Nunc quam me ſecurum & paratum ab hac parte venturum exiſtimatis? Erit ſcribenda deliberatio non ego Pyrrhum aut Fabricium nec Marcelli ac Fabij contrarias de ratione belli ſententias differendas dabo, quod ſi facerem dormitarent Adoleſcentes noſtri, ſatis ſcio. ſed enimvero Magnates Hiſpaniæ malis domitos legationem ad nos ſupplicem decernentes, aut de poſtulanda pace diſceptantes inducemus. Quod ſi iudicialis generis exercitatio placuerit, accuſatum de fuga & de amiſſo exercitu Serbellonium capitali cauſa defendemus Mantuæ Carpetanorum coram ipſo Rege Principibuſque Gētis, ea ratione quod cum eâ Leucatenſi impreſſione atque pugna Volcarum divina virtus confeſsione omnium extiterit, perſtare atque obſiſtere poſſe humanæ fortitudinis haud fuerit. Quid jam porro de Ruſcinonenſi campo dicam, quem deinceps pro Marathonio futurum noſtris Rhetoribus intelligo, Quod inquam genus orationis atque exercitationis eſſe poteſt cuius non aptiſsimam materiam in hoc bello quod in noſtris penè oculis atque auribus nunc cum maximè geritur, habeamus. Age meditanda ſint præcepta laudationum: quot nobis declamationes excellentiſsimi Principis Imperatoris huius belli virtutes illæ victrices, prorſus heroïcæ, conficient. conſilium in rebus dubijs, animus in periculis for-

titudo in acie, Providentia in caſtris, Perpetua vigilia Sapientiæ, alacritas intenta in omnes occaſiones, aſperorum omnium patientia? Quid deinde de Prorege & Mareſcallo Scombergio quantus erit & quam copioſus dicendi locus? Quibus verbis & orationis ornamẽtis ille pulvis, ille ſudor campi, illa circumventi & deſerti victoria, illa ſpolia pene opima, illa paterni nominis tot trophæis recentibus impoſita memoria deſcribentur. Hæc cum nos menſes aliquot exercuerint, tum vero tertium huius belli fulmen Regis in Septimania vicarius dux Plurimarum Palmarũm nobiliſsimus & fortiſſimus Arpaionius excipiet. Exinde aliis atque aliis Ducibus Militibuſque ſua deſcripta conſtabit temporis noſtri laboriſque portio. Quamquam perſonis omiſsis non modicam nobis anni partem rerum ipſarum per ſe magnitudo facilè conſumet. Capta Salſula propugnaculum Hiſpaniæ, tot regnorum clavis, arx optimo ſitu, deſcriptionis genere prævalida, firmitate munimentorum, craſsitie & ſtructura mœniũ, Caroli Cæſaris opus, æterna mora oppoſita populis Galliæ, vno impetu mediocris impreſsionis, modicis copiis, impulſa, proſtrata, facilè ſubacta, quam non facile negotiũ noſtris literis ad exornandum prædicandumque paratum eſt. Bene habet: quod nemo vnus poterat, multitudo perficiet. Centum egregios & diſertos adoleſcentes in iſtam contentionem effundemus; partitis curis, diſtributis partibus. Erunt certi qui locum deſcribant, Campi faciem, munitionis formam, foſſarum altitudinem, turrium modum numerumque oratione pingant. Aliorum opus exequi mille hoſtium intus latẽtium nomina, cogitationes, ſpes, repugnandi rationem, admirationem noſtræ virtutis, fractas minas, abiectam confidentiam, deſperatum ſtatum partium, & conditionem captivitatis humi-

liter acceptam à tumidis & nationis aurâ paulò ante plenis. Erunt interea qui noſtrorum acceſſum, metata circum caſtra, valli figuram, obſidionis diſciplinam, terræ molitionem, cuniculorum improviſum aſtum, ſuffoſsionem murorum aditum ignis & nitrati pulveris cæcâ vi perruptum, partim narrandi fide, libera oratione Hiſtoriæ mandabunt, partim heroïco impoſita ferculo coloribus poëticis illuminabunt: Partim ne qua ora terrarum aut linguæ obſcuritas expers hujus noſtræ gloriæ eſſe poſsit, attica facũdia Thucydideo & Xenophonteo ſtylo perſequentur. Quid jam de conſternatione Hiſpaniarum, de trepidis conſiliis curiæ, de triſtium tot appulſu nunciorum tot regnorum vrbes ſubinde exanimantium. Quot figurarum quantæ dicendi facultatis locus, quam multarum opus & lucubrationum & manuum? Poſtremò quia comparationibus res creſcũt, Leucata cum Salſulis, æſtas ab hinc tertia cum iſta, Apparatus ille Serbellonicus decenni meditatione conceptus, cum noſtro extemporali impetu, illa fuga cum iſta victoria contendetur. Tum quia virtuti Gallicæ non ſatis eſt hoſtes vincere: nos ipſos nobis ipſis opponemus, expeditionem inquam Ruſcinonenſem hujus anni, cum ea quæ ante annos nonaginta ſeptem eſt ſuſcepta committemus. Illam Franciſcus Primus indixerat; hanc Ludovicus XIII. Priori Rex ipſe penè præfuit, progreſſus vſque Monſpelium: poſterior dum fieret Flandriam ipſe Ludovicus invadebat. In illa Franciſci Regis Primogenitus exercitum quinquaginta millium ductavit preſens. In iſta conſanguineorum Regis Principum Princeps Condæus longè minores, ſed vt eventa monſtrarunt tanto fortiores copias duxit. Tum enim repulſi à Salſulis & citò & indecorè Galli reverterunt, nunc victores noſtri ſpoliiſque ac palmis onuſti, hoſtile ſolum do-

micilium ſuæ virtutis effecerunt. At ô martis velut maris reciprocantis ſæpe inopinatos, ſemper ſuſpectos & cavendos æſtus.en, vt ſunt recentes nuncij, victi audent, victores oppugnantur. Gratias tibi fortuna quod famæ noſtræ conſulis, dum agis ne quod vicimus tuo favori potius quam noſtræ virtuti tribuatur. Præſens experimentum vtilitatis nobis ſuæ Salſula præbuit cum obſeſſa eſt. Vnus ille locus ad noſtram gloriam divinitus proviſus eſt in quo brevi tempore omnes belli artes ex oppugnatore mox defenſor Gallus pari ſucceſſu laudis experiretur. Quoties dixiſſe putatis Hiſpanos Proceres : ſic facere noſtri debuerant. Soli tutari ſciunt arces qui expugnavere. Quoties reſpectaviſſe Celtiberos flentes, & niſi via patriæ patibulis eſſet obſita , magno curſu fugituros. Quoties exclamaſſe vel illos ipſos veteranos fortes. Intus Hector nec foris Achilles eſt: Cervi Lupos, columbæ aquilas, inſani ſectamur vltro quos opimus fallere & effugere eſt triumphus. Sed jam ecce auguror Campum iterum victoreſque Volcas & Ruſcinonenſem terram vt alienis jam ſit fertilis. cruore dominorum irrigatam. non do navem in iſtum gurgitem. Immenſæ dictu res otio ſcholæ, argumēta magnificētiſsima declamatorij ſuggeſtus ambitioni reſerventur. Videtis quam copiam exercitationibus noſtris bellum ſuppeditet. Hęc alacritatem adoleſcentibus incredibilem, hæc conandi ardorem mirificum, hæc vel mutis atque infantibus facultatem ſubitam inſpirabunt.

Non igitur inimicus Mars Muſis : imo pace ipſa commodior.non adverſarium ſtudijs bellum , imo tranquillitate expetendum magis.non denique mea hæc falſa , ſed Adverſariorum illa vana & futilis oratio. Nam & triſtitia temporis quam tumultus affert, literis favet: & remedium, aut certè ſolatium

calamitatum belli in iiſdem eſt. Otium vero capitale literis, armis etiam excutitur. Poſtremo & æmulationis aculeis & ſtrenuitatis exemplis, & ſcriptionum argumentis abundè præbitis, & ceſſandi cauſis ereptis, tot modis Scholaſtica diligentia Caſtrenſi ſedulitate promovetur. Quâ argumētatione omni confectâ atque conclusâ, extremus huc quidam locus reſeruatus eſt, qui tametſi ad probandum valebat vel in primis, tamen ad adhortandum conferendus potius eſt viſus. Eſt autem is memoria ſæculorum & teſtimonium Hiſtoriæ cujus clariſsimis exemplis documentiſque certiſsimis non tantum adverſariorum manifeſtiſsimè ſententia refellitur; ſed etiam (quod nunc quidem malim) noſtrorum ſtudium accenditur. Antecelluiſſe omnibus Gentibus doctrina literiſque Athenienſes nemo tam indoctus eſt vt dubitare poſsit. Sed cum eorum & otij & belli & Regni & libertatis, & Imperij & ſervitutis varia tempora extiterint, quando putatis eos impenſius & felicius mitia ſtudia humaniorum artium coluiſſe? Accipite rem fortaſſe miram, ſed certè veriſsimam, & ad hanc quidem cauſam præjudicij certiſsimi. Numquam attentius, diligentius, laborioſius dedidere ſe literis Athenienſes, quam dum bello Peloponneſiaco premerentur. Quale autem id bellum? nam id vel in primis refert, omnium atrociſsimum atque longiſsimum, quod ab vniverſis Peloponneſi civitatibus cæteræque ferè Græciæ, Ducibus Lacedæmoniis communi conſilio devinctis adque conjuratis, ſummis odiis animiſque per annos octo ſupra viginti continuos geſtum eſt. Prorſus vt videatur incredibile in urbe non populoſiſsima, recenti peſtilentia deſolata, crebris cladibus imminuta, quotidianis delectibus exhauſta, perpetuis terroribus anxia, Decelea cervicibus impoſita, hoſtibus nullo

non die portas trudentibus, locum ullum potuiſſe reliquum ſtudijs fuiſſe. Et tamen O Bellum, vt Veteres aiebant, rerum omnium, vt addere neceſſe eſt, etiam literarum Patrem! tamen vixit Athenis eo tempore Thucydides, vixit Herodotus, Xenophon, Theopompus, Scripſere Comœdias Ariſtophanes, Cratinus, Eupolis, Tragœdias Sophocles, Euripides & in eo genere Victor Euripidis ille Xenocles: Floruit Socrates & Plato: Iſocrates & Lyſias, Iſæus & Antiphon, Dinarchus, Andocides viguerunt, vt innumerabiles alios taceam Ariſtoteles, Æſchines, Demoſthenes, quorum adoleſcentia ea circiter tempeſtate ad ingenuas diſciplinas ibidem erudita eſt. Etenim illud affirmari poteſt orbe illo quadraginta circiter annorum quo & Bellum Peloponneſiacum & pauci illud præcedentes ac conſequentes anni colliguntur plus ingeniorum Athenis & literarum fuiſſe, quàm totis vndecim ſæculis quibus antea ſteterant, quam totis quingentis annis per quos deinceps aliquo in flore perſtiterunt. Quid in Romana civitate quo tempore proventus maximus Eruditorum fuit? Nonne civili bello diſsidente à Pompeio Iulio Cæſare, Triumvirisque paulo poſt Rempublicam dilacerantibus? Tum Oratorum maximus numerus Coryphæo Tullio. Tum Latinæ Hiſtoriæ Patres Dionyſius, Livius, Salluſtius. Tum Poëtarũ ipſa lumina Virgilius, Horatius, Propertius, Ovidius, Tibullus, innumerique alii quos noſtis. Quamquam quid ego vel repeto tam vetera, vel acceſſo tam longinqua, iſte ipſe flos iſtud lumen ac quaſi meridies literarum, qui tametſi ad veſperam inclinat, nunc tamen adhuc fulget, non recordamini quibus ex initiis & quaſi crepuſculis eluxerit. Prorſus ſicut mundus ex chao, ita huius ſæculi eruditio ex bello nata eſt. Vnde literas Græcas

habet Europa niſi belli beneficio, capta Conſtantinopoli, Græcis exterminatis, & velut tempeſtate ad nos eiectis? Quando vero excuti Barbaries, celebrari artes, revocari literæ ceperunt? Conflagrantibus cunctis gentibus perniciofiſsimo bello quod poſt conditum Francorum imperium propè funeſtiſsimum Franciſcus Rex primus, Inſtaurator & Pater literarum cum Carolo Cæſare eius nominis quinto habuit. Quid cætera deinde perſequar ad hodiernum uſque diem luctuoſiſsimis civilium armorum malis infeſtiſsima tempora quibus tamen eruditiſsimorum hominum ingens numerus longè ſupra omnem antiquitatis memoriam in Gallia cernitur fuiſſe. Quod ne bonitati naturæ ingeniiſque noſtrorum tribuatur, Batavos recordamini quos ab omni ævo cœli quadam ſolique patrij natura atque temperie maxime habetes & tardos paroemiæ ipſæ veterum communiſque ſermo traducebat. Hi poſtquam famoſiſsimo bello contra Hiſpanos ſuſcepto, quod ſeptuageſimum iam annum conſtantiſsimè terra marique gerunt, ſtupidas illas & craſſas mentes ad diſciplinam Martis attulerunt, adeò repente profecere, ut nulla ferè hodie, ſi forte Galliam excipias, pars Orbis eſſe videatur in qua maiori contentione, addo & fructu ſucceſſuque in omnem linguarum varietatem, librorum ac monumentorum vetuſtatem, artium eruditarum elegantiam incumbatur. Quos homines ſi quis exiſtimet idcirco à me appellari non debuiſſe quod ab Eccleſia diſceſſerint, ſciat id ea me gratia feciſſe quo aliquem pudorem incuterem Catholicæ iuventuti. quę Dei Perduellibus Hęreticis arma ſibi literarum adverſus Religionem & ſanam doctrinam ſummo ſtudio comparantibus, dormitat interim, & cauſam optimam ſocordiſsimè defendit. Itane verum eſt vos Eccleſiæ legitimam

prolem, Galliæ Chriſtianiſsimæ Germanos partus, in gremio religioſiſsimæ civitatis inter antiquiſsimæ ſanctitatis auguſtiſsima monumenta natos, in Apoſtolorum & Martyrum liminibus enutritos, latinas literas vix primoribus iiſque reſpuentibus delibare labris, in Græcis elementis delicias facere, ſtudiis omnibus quam leviſsimè defungi: dum illi olim horridi & pingues Hollandi craſſo ſub äere inter paludes Leydenſes æternis obruti nebulis, perpetuo in terrore formidoloſiſsimi tumultus, linguas non ſolum Græcam, ſed etiam Hebraicam, Syriacam, Chaldaicam, Arabicamque ad perfectum addiſcant, quibus freti pro ebrioſi Lutheri pleno abdomine, pro cervicoſi Calvini vacuo cerebro, contra Romanam fidem impunè vobis muſſantibus cavillentur. Quin potius dum Regis hoſtes alij profligant vos arma in Chriſti perduelles vobis cudite. Extorquete illis gloriationem inſolentiſsimam, veteris gloriæ poſſeſsionem retinete, arripite denique occaſionem fluxam & brevem. Agite dum licet, dum maturum eſt, dum opportunitas vocat, dum triſtitia temporis literis favet, dum ſicut ſylvarum ſuſurri, rivulorumque murmura ſomnos conciliant, ita bellorum ipſe ſtrepitus ad ſtudia invitat. Equidem brevi rédituram pacem arbitror. Multa ſunt quæ ſuadent. Ipſæ prænunciant atque admonent quarum hîc cauſam peroramus literæ. Vt enim illam Camarinam ſine pernicie Siciliæ numquam motam aiunt: ita longè contrario fato noſtræ Narbonenſis Galliæ, numquam uſque ad hanc Prouinciam bellum pervenit quin regno tranquillitas brevi reddatur. Anno 1406. regnante Carolo Octavo cum expugnata eſſet à Gallis Salſula, Duce Santandreano Mareſcallo, venere mox Hiſpani ſupplices qui primum inducias ſex menſium, poſtea pacem impetrarunt.

Iterum anno 1503. cum Ludouicus XII. Francis tum imperans Mareſcallum Riv.enſem cum Nemoracenſi Duce Vaſtone Fluſſate eandem Salſularum arcem oppugnatum miſiſſet, induciæ primum quinque menſium, mox fœdus paxque conſecuta ſunt. Non fruſtra paciferæ arboris ferax Septimania noſtra eſt. Inſerentur Narbonenſes Oliuæ Ruſcinonenſibus palmis, ex quo gignet iſta Prouinciæ, & brevi gignet, nam etiam hieme fertilis eſt, fructum exoptatiſsimum victricis pacis. Properemus Adoleſcentes, vigilemus, pugnemus dum pugnandi tempus eſt, & ſuperemus, ſpolia opima de ignorãtia ignaviáque reportemus: caveamus ne tranquillitate mox reduce, lætantibus omnibus, nos vni noſtram inertiam amiſſæque occaſionis iacturam irreparabilem lugeamus.

DIXI.

# ORATIO IV.

## DE SANCTO MARTINIANO.

QVÆ mihi res blandiri videbantur initio de nobiliſsimâ Sancti Martiniani victoriâ commemorare apud vos paranti, eædem poſtquam ad primam ſpeciem provectus ſum ita me opinione fefellerunt, vt quantum antea longè proſpicientem pellexerant, tantum deinde propius intuentem deterrerent. Cum enim argumenti ſumma dignitas in veſtris animis orationi meæ conciliandis artis quæ in me nulla eſt, expletura partes videretur; conſolabar videlicet ruditatem meam: cum vero cogitabam ejus rei quam dicturus eſſem ſplendorem multo maximum; tum ipſe mihi non tam laborem exornandi detractum, quam imperitiam id efficiendi ſubleuatam gratulabar. At nunc in ipſo impetu capeſſendæ rei ſerò tandem vtrumque intelligo: & verendum eſſe ne rebus incredibilibus offendatur auditoris fides: & omnium eſſe difficillimum extollere contentione dicendi, id quod magnificentiâ ſuâ quâdam propriâ omnis jam excellentiæ faſtigium occupauit. Itaque hæreo equidem: atque & inter neceſsitatem dicendi & deſtitutionem duplicis ſpei meæ anceps animi fluctuo quo me vertam ignarus. pergam? obfirmabo animum in propoſito? non faciam, neque enim poſſum, AA,

niſi de veſtro jure aliquid remittitis, niſi gratiam debiti facitis ſaltem dimidij, niſi boni conſulitis pro totâ oratione partem a me ſolam reddi, niſi oratoris officio me exoluitis, narratoris fide contenti. niſi denique hoc pollicemini, vos quod à me dicetur ita excepturos, vt quamvis ſit magnum ac mirabile, amplectendum tamen fide ſimplici benevoláque potius, quam cunctatione timidâ tentandum explorandumque exiſtimetis. neque vero eſt ęquitatis veſtræ id agere, vt pœnitere ſui pretij virtutem eximiam debeat: neque ſapientiæ, quod raro reperiatur id ne eſſe quidem poſſe credere. Anguſtæ mentis eſt naturæque noſtræ vim ignorantis, ac magna deſperantis omnia, exæquare infirmitati propriæ credulitatem ſuam. paulo præclariora quæque & aggredi ipſum & aggreſſos alios dubitare. ſuæ humilitatis modulo cœleſtes, quoque animas metiri. atque ad ſuæ ignauiæ conſcientiam teſtatarum alioqui rerum fidem exigere. A quâ vos malignitate puſilli animi cum abeſſe ſentiam, longiſsimè, eſt aliquid quod vt in tali causâ mihi gratuler, AA. Si enim mihi cum quibuſdam ex naſutis iſtis tardæ moroſæq; fidei faſtidioſis Criticis negotium eſſet, nullus nimirum futurus locus erat huic orationi, quæ cũ in commemoratione rerum ſummarum & ſuâ magnificẽtiâ prodigio ſimilium verſatura tota ſit, iſtis ſcilicet Cenſoribus repetita quædam ex veteribus rapſodijs, aut de fæce hauſta mythicæ memoriæ cantilena potius, quam vera explicatio rei geſtæ videretur. Nihil enim nihil, AA, afferam mediocre, nihil vſitatum, nihil ejuſmodi quod de alio quopiam fando vnquam ſit auditum. Cæſaream civitatem nobiliſsimam, ſuam patriam, in qua divitiarum, honorum, voluptatumque omnium circumfluebat copiâ mutâvit exilio triſtiſsimæ ſolitudinis tuendę

Virginitatis gratiâ primo ætatis flore tener adoleſcentulus Martinianus, fecerat idem Antonius, fecerat Hilarion, hoc ergo ſileatur. Delicata membra & velis aſſueta molliſsimis, ſubtiliſsimis è Caryſto linteis fota, ſacci cilicini ſetosâ & rigenti aſperitate compunxit atque cruentavit Martinianus idem: Laudem cum Arſenio compluribuſque alijs communem illis totam concedimus. perenne jejunium continuas vigilias, juges precationes, vulgaria jam decora multorum in Martiniano taceantur. ne illud quidem, quod ſingulare eſt, jactaverim magnopere, quod rebellantem carnem & periculo pudicitiæ geſtientem, flammis vt hydram quandam admotis coërcuit, cum iuuenile corpus in prunis ardentibus volutaret. Extinxit & faces libidinis Franciſcus in nivibus: & cupiditatum ſtimulos veprium aculeis retudit Benedictus. Equidem video ſi admovere contentionem pergam nec illas nives, nec iſtas ſpinas, cum noſtris flammis poſſe cōſiſtere, vt non iſtæ conſumantur, illæ liqueſcant, aut certè ad Martiniani luculentos ignes obſcuriores appareant. non ſolicitabo tamen, non comparabo facinora. abſtinebo ambitionem omnem, & potius hujus quoque laudis jacturam patiar. Illud quæro ecquis vmquam invaſerit, quis ſuſceperit? quis cogitaverit? vt vno maculandæ caſtitatis metu, vnâ pudoris obtinendi curâ, inter furores fluctuum ſine navigio, inter ventorum turbines ſine domicilio, ſub pluuio & procelloſo ioue ſine tecto, inter naufragia ſine tabula, inter pericula ſine ſpe, inter frigora nudus, inter monſtra ſolus; inter horrenda omnia lætus habitaret?

Erat in Ægæo mari medio fœda moles aſſurgentis ad nubes petræ; duriſsimo ſaxo, acuto vertice, informi punice, ſterili ſupercilio rigidi faſtigij latè ſqualless. Extabat formidolosâ procul ſpecie

cautes

cautes quædam acroceraunia, dirarum volucrum nidus, naufragorum albeſcens oſsibus, prætereuntium terror, tempeſtatum domicilium, fulminum ſcopus, claſsium ſcopulus. quid cogitas Martiniane, quid moliris? cóne ſolus aſpiras vnde omnes remis connixi velíſque fugiunt? túne quem Charybdi peius & Scylla ſani omnes vitant, vnus vltro appetas & quæras locum? ibo, inquit, ibo; & quam ab æuo fruſtra vndæ omnes obſident, ego felicior arcem occupabo. portus illic oſtenditur tutiſsimus iactatæ tamdiu pudicitiæ: hinc tempeſtates eius omnes; hinc hoſtium minas omnium atque inſidias, hinc fractos impetus indignantium, & terricula deſperantium vana deſpiciam. Qui ſi pergent tamen, ſi obſtinabunt odia, ſi ſtudium ſi pertinaciam laceſſendi confirmabunt; ſedes ipſa me docebit illa non cedendi conſtantiam, quæ tot arietantium tot jam ſæculis ictus fluctuum inconcuſſa hactenus eluſit. Conſpiret omnis Orcus, non exculpat è rupe mulierem, aut tam vaſto mari tranſportet. vnus à cœlo reſtat aditus, ſi inde poſsit aliqua cadere, quod tamen ſi fieret, periculum in exemplum verterem ſcilicet, & ex aſtris lapſam fœminam de rupe me præcipitem in fluctus dando ſimul imitarer & fugerem. Videte interim A A. noſtrum cum peregrino nautâ paciſcentem, prenſantem, ambientem, rogitantem, & vultu, totóque corpore ad impetrandi curam ſolicitè compoſito in loco beneficij dirum exilium eblandientem: cunctantem è diverſo nautam; percontantem, ecquid ſanus ſit? inſtantem Martinianum; ſuadentem argumentis omnibus, omnibus blanditiis pertentantem, vix juramentis, vix precibus infimis, vix obſecrationibus admotis fidem inſani voti facientem; vix tandem oſtentató vincentem pretio, & mercede numeratâ vnam extorquentem gratiam ab ho-

mine ſatis humano, ſi minus eſſet cupidus, vt ſe in deſertum littus importuoſæ rupis periturum proiiceret. O mirum atque incredibile prodigium magnificæ divinæque virtutis! ô altas & cœleſtes & immenſo quodam intervallo diſsitas à noſtris vulgi conſiliis cogitationes ſapientum! Stare ſuſtinet inter flammas & fulgetra fulgurantis Sinę Moſes alter interritus; Cœli fatiſcentis ruinas erectâ fronte, immoto vultu, tantæ moli paribus invictæ virtutis humeris novus hic Atlas opperitur. Sedet proh miraculum! quietus, ſéque beatum ipſe præſtat ſuo licet illi affixus caucaſo haud paulo melior Prometheus: nec ſua regibus palatia, ne cœlitibus quidem ſuas ſedes invidet beatiſsimas. Tu nempe, tu cœleſtis vna virtus divina virginitas, quæ te ipſa contenta es, quæque ad felicitatem vna tibi ipſi conficiendam ſufficis. Miſeros vos etiam cum in oſtro flagitia volutatis Aſoti nequiſsimi! etiam in plumis illis molliſsimis ægritudine animi vigilatur. In tectis illis aureis; in lectis eburneis; in aulis marmoreis; in menſis regiis; in illo tam ſplendido apparatu profuſæ luxuriæ, tam ſpeciosâ pompâ ſumptuoſæ ſuperbiæ, tam ambitiosâ oſtentatione jactationis inaniſsimæ, vobis tamen infelices ipſi diſplicetis omnium ſaturi: dum circa picta laquearia, per odoratum illum aërem, præteritorum pœtentia, futurorum timor, afluentium nauſea, fames abſentium, oblatorum faſtidium, negatorum deſiderium, vltrices curæ, atroces minæ, flagella ſurda ſontis animæ, obſcœna turba infelicium volucrum, nigro volitantes agmine, funeſto cantu, crudorum ſomnis obſtrepunt, etiam ſymphoniâ provocatis. Te vero Martiniane mirabilem & ſupra mortalitatis conditionem omnis divinitatis piâ quadā nec invisâ Superis affectatione progreſſum! Quem enim tibi ego hominum opponam

quem non ex illo cœlo inferiorem longè deſpicias. Stilitas aliquos accepimus, cœleſtes animas, admotis cœlo columnis altiſsimis contagionem abjunxiſſe caducarum rerum, & in ſuæ originis relegendâ viâ ſubſtructis inſiſtētes molibus inuſitata arte heroici conſilij, vel oblitam admonuiſſe, vel infirmam adjuviſſe naturam. At illi in terra, tranquillo jam fixoque elemento, tum etiam frequenti, & multitudine celebri, & magnis procellarum ac fluctuum caruere terroribus, & ſolatium ſocietatis habuere, tum in arbitrio ac facultate deſcendendi, opportunum ſemper & præſens tædij remedium. Neque illis tamen noſter invidet. ſuas ſibi ſcalas habeant. mihi deſcēſus niſi præcipitio nullus oſtenditur. Virtutē illi illuſtri aduerſus oculos mirantiū erexerint loco: ego eandem aduerſus impreſsiones impugnantum munitiori concluſi. Illos jam nunc amplectatur quam factis immortalibus meriti ſunt gloria: me quam peto ſecuritas incorruptæ laudis obtinendę in obſcuriſsimo exilio foueat inglorium. Sed jam nigreſcit ecce cœlum, addenſantur nubes, duplicantur tenebræ, mugiunt tonitrua. cave Martiniane, conjuratio eſt: tuum vnius caput hic tumultus petit. Non audis inter fragores nubium ſtridores ventorum, fremitum fluctuum, indignabundas minacium Dęmonum voces. Hoccine vt feramus ille hoſtis impune, nos patienter? fugâ nos hic vicerit homunculus tanto infirmior, & ſtratagemate debellarit? quin agitis, ſi quid poteſtis, omnes Orci furiæ. committamus ventos, agitemus undas, verſemus incitemus confundamus omnia: ſydera fluctibus, aquas nubibus, cœlum terræ miſceamus. Inſtate eja omnes, irruite, incumbite, voce, minis, larvis, ſpectris, vnum ſi poteſtis hominem terrete. Ardet proh miraculum conſtantię! continenti late incendio totus æther, nec Martinia-

nus vllo metu percellitur. Vnum ſimul caput tonitrua circumſtrepunt, adurunt fulgura, fulmina circumvolitant, ſtat immotum tamen. ſurgunt in Cœlum montes vndarum tumidi: & inuiſæ petræ verticem liquido circum theatro tamquam vallem deſpiciunt profundiſsimam, hic noſter tamen ridet. & cui vna metuendi cauſa cura pudoris fuerat, hujus in complexu boni, quidquid demum extra perſonet, gaudet in ſinu. Vni patet in hoc tumultu vulneri ad alia omnia ferreus animus. Videt diſiectas claſſes toto paſsim ſparſas æquore, raptatas, conquaſſatas, aſflictis malis, fractis gubernaculis. comploratio vectorum, deſperatio nautarum, voces votáque ultima pereuntium miſericordi pectori labem faciunt. vocat, conſolatur, exhortatur procul: dat lacrymas ſi opem non poteſt. Rapit hinc præſens conſilium hoc obſeruato ſenſu condolentis, hoſtis callidus. forte peribat inter fluctus puella nubilis exquiſitæ formæ, idonea res ad fraudem viſa. hanc machinam ſibi Orcus eſſe quam prædam maluit, minus ſemper auidus quam crudelis. hanc igitur in fluctu ſuſtinet, hanc erigit, hanc mento natantem ſubleuat, hanc imponit tabulę naufragantem, tum fluctu juuat & ſpiritu proſequitur donec ad Martiniani rupem inuiſam tabulam manu ipſe propellens ſua Portuni vicem tentator importunus applicuit; Non defuit ſibi Virgo: ejulatum infelicis & preces ſupplicis vno clamore lacrymans miſcuit. Reſpicit iuuenis, & terrore tum primum conſternatus ſubito: Infandum, inquit, & ſequax genus. me miſerum adeone nullus in orbe locus à feminarum commercio ſatis tectus eſt. At Ithacenſis ille blandis periculis nimis hoſpitalis inſulæ facili ſtratagemate defunctus eſt. vnum me omnium etiam per ſcopulos Sirenes petunt. quid agis

anime, quem perplexæ rationis exitum expedis? In diuerſa proh dolor rapimur anxietate ancipitis officij. Caſtitati conſulimus ſi reijcimus mulierem: ſi periclitantem aſpernamur & ſupplicem, deſumus charitati. O iudicium difficile? O æſtum animi! hactenus miſer tantum à vitiis timueram, nunc me virtutes etiam oppugnant. ſed vincat ſane quod potius eſt; quid enim deliberando cunctaris? accinge te auxilio: perit homo, ni ſubuenis: nec ſi diuinum decus æmulatur, inhumana propterea virginitas eſt. quid dubitas? dare potes manus vt non vincaris. breuis eſt occaſio ſeruandæ animæ. poſt hæc aliquid viderimus quo nobis quoque conſulamus. ne multis: afflictam erigit: deſperantem recreat: naufragam tollit: ſupplicem humanè; egentem liberaliter; ejectam hoſpitaliter; ignotam beneuolè; fœminam caſte, ſanctus iuuenis excipit. tum omni hoſpitalitate prolixè perfunctus ad ſecuram iam virginem. Vivas (inquit) hic felix, ſoror, exemplo vſa non conuictu meo. pudoris ratio tibi quoque prima eſt. credo equidem ſed Virginitati etiam Virginis periculoſa conſuetudo eſt. vnum hoc genus inter omnia ſimilis adjunctione non iuvatur. Igitur ne videar te ſeruaſſe gratis naufragium tuum mihi redde, tu ſcopulum hunc meum viciſſim obtine. vtilis iſta utrique commutatio eſt. Experiar Ecquis caſtitati locus in mari ſit? ut mea ſalus arguat fabulas, quæ inceſti dæmonis cunas illic & regna poſuerunt. quāquam vt deeſſet exitus ſpei, non dedeceret ibi mori Virginē, ubi Venus nata diceretur. Hinc ad eam ſerenitatem vultu compoſito quâ placari ſi quem ſenſum habeat mare poſſet, præcipitem iu mirantis oculis ſe alacri ſaltu dedit in fluctus. quid vultu exhorruiſtis? dignior res encomio, quam formidine, admiratores potius quam æſtimatores requi-

rit: plus illic miraculi quam periculi eſt: & gloriam æquum eſt virtuti reddere; nec eſſe miſericordes in felicem decet. Illud agamus potius communiter. conſulamus in medium: Ecquod huic inuſitatæ laudi pretium ſtatuendum eſſe videatur? Nam mihi quidem nulla vis fortitudinis, nulla æquitas iuſtitiæ, nulla ratio prudentiæ, nulla continentię moderatio diuino iſti videtur facinori defuiſſe: in quo & in periculum ſtrenuè vaditur a fortiter: Et vmbra ac cogitatio criminis atrociter vindicatur: & mirum conſilium expeditur in dubio: denique non corpus ſolum à nequitia, ſed mens etiam à memoriâ, oculus à ſpecie, cupiditas à facultate flagitij removetur. Prorſus ita eſt. vim exhauſiſti omnem admirabilitatis omnis vno iſto tuo immortali facinore, Martiniane. Nulla te dum hoc ageres pars laudis fugit. Vaſtum & immenſum quoddam perque omnia virtutis membra fuſum ac paſsim ſparſum honeſtatis genus vniverſum vnico mentis Heroïcæ capaciſsimo conſilio complexus es. Et quæ diſsipata beatos ſingulos ac glorioſos faciant, tu ſimul omnia collegiſti. Sunt qui prudentes viros Deos quoſdam putent. an tu homo, Martiniane, iſto tam inopinate excogitato ſtratagemate ſapientis fugæ? Eſt apud omnes gentis mira laus fortitudinis; ſed ſi qui non declinarunt irruens periculum tolluntur in cœlum; an tibi, qui in fauces mortis ipſas ludibundus inſilis, non aræ templáque debeantur? Rara temperantiæ laus eſt in tanta corruptela vitæ, in tantis illecebris libidinem continere. Heroicum quiddam impurum facinus oblatum ſpernere: florem pudoris cum ætatis flore vnum in ſertum purpurea verecundiæ vitta conjungere, labor angelicus: quid iam, primam auram labis interitu fugere? Magna ſeueritas, delicias conuiuij, pompam ſpectaculi,

ſpeciem ludorum humanitatem ſermonum , celebritatem vrbis, ruris amœnitatem , virginitatis laborantis in his omnibus amore contemnere Pluſquam humani captus , patriam , penates , opes, parentes , neceſsitudines , ſpes, chara omnia quæ homines vel afferunt morte , vel redimunt , vno pudoris amore perdere. Iam propè diuinum eadem vna de cauſa ſeſe conficere jeiuniis , vigilijs , labore, verberibus , ærumnis , corpus vltrò ſuum frangere. Denique expoſitæ pudicitiæ vitæ diſcrimine ſuccurrere , prorſus heroicum. Quid vero ſpeciem ſuſpicionis timidam , tanquam obſcœnum omen, fluctibus obruere omnibus & expiare ? Laudaretur qui verum periculum via commoda vitaret : tibi quid fiet , Martiniane , qui cogitationem maculæ primulam exitio declinaſti? Caſtitatem qui ſuadentibus , obtemperat , magna ( quis neget ? ) in virtutis parte verſatur. Iam ipſum laudis occupat faſtigium qui contra ſolicitantibus negat. Qui virginitatis ſecuritatem morte ſanciat. qui ſe ipſum aris pudicitiæ faciat : & proprio ſanguine innocentiæ litet ; hunc per Deum ter maximum quam ad arcem cœleſtis magnificentiæ promouendum arbitrabimur? Pace tua dixerim , Ioſephe ſanctiſsime, æternitatem tu quidem illâ jacturâ pallij , illa conſtantiâ fidei, illa fugâ flagitij meruiſti. Plus Martinianus tamen fecit. Iſte enim in modeſtiſsima virgine periculum incertum , tu in flagrante adulterâ flammam præſentis ſceleris exhorruiſti. Atqui tua fuga facilis in plano fuit : illi curſus in præcipiti, quies in exitio monſtrabatur. Denique tu abjecto palliolo cucurriſti : ille vitâ profligata & proiecto ſpiritu præceps in perniciem ferebatur. Verumtamen quo ruis, Martiniane? ſta pauliſper, téque collige. quid tantum times ? qua te video conſtantia manere potes in occaſione ſine damno. Experire,

mihi crede, res eſt æſtimatione facilis, euentu non pertimeſcenda. non te vret illa flamma quam metuis: ſed tuæ virtutis incendet pretium. Ea quippe demum eſt caſtitas, in opportunitate flagitij obſtinare tamen animum in officio. facilis abſtinentia negatorum. neque magnum meritum virtutis eſt, cuius omne ſub tutela infirmitatis latet arbitrium. Animus te caſtum oportet non locus faciat. vt ſolis radius etiam in luto fulgorem obtinet, ita Virginitas vel in fornice ſplendeat, cuius omnis gloria non circumſcriptione locorum, neque genere comitum, ſed habitudine conſtat animorum. Iam in te ipſum tibi ius necis vſurpas: quis hoc ſibi tribuit? aut ſi illud habere te putas, vtere moderatè. dicat tibi corpus tuum: cujus compertum criminis de ſaxo me dejiciis? An tu vertis mihi ſceleri peccare potuiſſe? quid in flagitij conſcientia faceres, qui facultatem conſciſcendi vitij capite vindicas? Durus oppidò cenſor es qui virtutis certamen in peccati parte numeres. idemne tibi periclitari quod perire eſt? At ſi minus reſpicis, audires ſaltem exanimatam expectatione caſus tuî naufragam virginem; quam cùm ſemel ſeruaueris, vt ingrata ſit illa ſi non agnoſcat beneficium, ita tu niſi tueris inhumanus. O acerbam (inquit) atrocitatem iratæ fortunæ! crederem vmquam miſera triſtius mihi quidquam Naufragio poſſe contingere? Egóne tibi per quem vivo cauſa mortis ſim? me igitur dignam inveniſtis ſuperi, quam homicidam de naufragâ faceretis? Clementius me neglexiſſes ante pereuntem quam mox perituram modo deſeris. mitto quod ob crimen, quærere. (Quid enim tantum offendimus?) cæterùm ne Medea quidem fuerat iſto tibi modo fugienda. Per ego te quidquid in cœlis ſacrum, in terris pium, vbíque gentium ſanctum eſt, Per authorem noſtræ ſalutis & vin-

dicem Chriſtum, qui ſermonem & conſuetudinem ſamaritanæ mulieris non optimæ fugiendam ſibi non putavit: Per ejus matrem Mariam virginem, cujus laudem & profeſsionem Virginitatis mihi quoad vivam exprimere atque affectare certum eſt, per commune ſtudium & decus amborum obteſtor atque obſecro expecta hic cuſtos & teſtis innocentiæ meæ, formator morum, inſtitutor vitæ. minimam partem mei ſervaſti corpus: anima ſupereſt: abſolve beneficium, quibus heu me malè perituram exponis cladibus?ne quæſo, ne agnam, paſtor; ne ſororem, frater; ne miſeram miſericors, ne hoſpes, hoſpitam; vel ſi noſtra omnia parum movent, ne locum deſere miles Chriſti. Obruebant cætera lacrymæ, mixtique ejulatus; nunc ſuam ſolitudinem, nunc illius exitium deplorantis. Quibus nimirum omnibus nihil ille magis flectitur quam rupes ſua. Stat erectus in veſtigio caſus ſui, & in cogitatione atque vſurpatione peſtis ſuæ ſecurus ac ſerenus acquieſcit; tanquam ſua clade frueretur; ita ſiccis, imo vegetis oculis; ita placido, imo ridenti ac renidenti vultu, mare ſuum tumulum deſpicit, & ruinæ ſuæ ſpatia metitur. nullus horror, nulla vertigo ſuum præcipitium intuentis. Quin etiam flagrat alacritate morituri facies: & in accenſis verecundiâ juvenis genis, adverſus pallorem præſentis fati ſuum ſibi pudor colorem obtinet. Et mirabitur deinde aliquis præſto fuiſſe cadenti delphinas,qui onus dorſo pretioſiſsimum promptiſsimi ſubjerunt. Ego vero miror potius tantum conceſſum eſſe beſtiis: nec in hoc terreſtri cœleſtes Angelos certatim id officium prævertiſſe. Nunc illud non officioſè ſolum ab humanis pene belluis: ſed propè etiam ſapienter conſultum eſt, vt quemadmodum illum olim citharœdum Arionem Corinthum ex naufragio deporta-

rant; ſic noſtrum Athenas Martinianum appellerent; in quibus nimirum regnum iam olim eſſet eloquentiæ conſtitutum: tamquam hoc muti dicerent: afferre ſe quod vice campi Marathonij omnibus deinceps Rhetoribus eſſe poſſet. Quamquam vt rumpantur illi quidem contentione quot quot ſunt, ac ſpiritum in voce conſumant, numquam tuum immortale decus ac cœleſtis magnitudinis modum prædicatione meritâ, ne ſuſpicione quidem aſſequentur. Igitur illi ſileant ſi quis pudor eſt, Tu vero fruere tuá gloria & in gratulatione beatorũ quorũ te jampridẽ cœtibus tua virtus iſta miſcuit, ampliſsimos tuæ victoriæ fructus habe. Illic Nicetas ille factis victor & nomine, faſces tibi vltrò ſubmittit, teque longè majorem illa ipſa lingua prædicat quam in decretorio pudicitię periculo aliquando projecerat, nunc recepit: at tu tantò glorioſior quieti virginitatis ac ſecuritati non neceſſariæ comparandæ, exemplo haud paulo majori, totum corpus impenderas. Concedit item tibi Thomas ille mirabilis, qui antiquum hoſtem antiquo teli genere, novus miles, ambuſto torre devicit; cuius tu tela ignea maris fluctibus extinxiſti. Aſſurgit quoque (ſi tamen illic locum habet) dilaudatus ille Demetrius, qui Antiochi regis importunam libidinem præceps in fervens balneum morte vitavit: dignus ſanctioribus aquis: qui vbicúmque tandem eſt, fateatur certè; tanto tuum facinus eſſe ſuo clarius, quantò vehementius & formidoloſius exæſtuat turbulentiſsimis exagitatum ſæviſsimarum procellarum furiis inſanum mare, quam delicatum balneum ad obſequia luxurię calore artifici temperatum. Omnes denique quotquot in illo colle fortunatiſsimo Agnum concolori ſtola candidum ſequuntur puriſsimi virginum

chori, te venerantur omnes, te ſuſpiciunt, tibi applaudunt, te ſtudio, te laude, te admiratione proſequuntur. Cuius tantæ gloriæ compoti cum nihil videri neceſſe ſit prædicationes omnes & præconia mortalium, tum ea tamen ipſa eiuſmodi ſunt, à tua, Martiniane Sanctiſsime, tuique huius diuini facinoris commendatione glorioſiſsima, ac commemoratione pulcherrima, nullo vnquam tempore conquieſcent.

DIXI.

# ARGVMENTVM IN DVAS SEQVENTES ORATIONES.

*Seneca in Conſolatione ad Helviam Matrem Cap. X. refert Apicium Romanum Civem cum ſeſtertium millies in culinam congeſſiſſet, ære alieno oppreſſum, & rationes ſuas aliquando coactum inſpicere, ſuperfuturum ſibi ſeſtertium centies computaſſe; & velut in vltima fame victurum ſi ſeſtertio centies vixiſſet, veneno vitam finiſſe. Hunc fingimus toleratum in vitâ, cum ſiſteretur Triumviris inferis, magno Romanorum Procerum convicio exceptum: inter quos Manius Curius Dentatus abſtinentiæ non minus & temperantiæ laude quam rerum geſtarum gloria clarus; & M. Porcius Cato, ille æternus allatrator illaudatorum morum, cum vterque ſibi certatim Accuſationem Apicij depoſceret, dicere pro ſe quiſque ſeorſim ſunt juſſi. Prior ſic locutus eſt Cato.*

# ORATIO V.

## M. P. CATONIS IN Manium Curium Dentatum accuſationem Apicii apud Rhadamanthum ſibi vindicantem, Divinatio.

MAgnum hodiè fructum cepi virtutis & conſtantiæ quam tota vita tenui, Iudices, cum oblato helluone iſto nequiſsimo, conſurgentibus ad accuſandum impuriſsimum caput & vlciſcendum togæ noſtræ ac nominis dedecus certatim Romanis omnibus, ij tamen vt me videre accedentem ad eam curam ſtatim omnes vno excepto facillimè conceſſerunt. In quo ſane te miror M. Curi ſi minus amplitudo & cenſuræ nomen vitæque gravitas commovebat meæ: non acceſsiſſe tamen ad conſenſum omnium, nec communis judicij prærogatiuam in hac controverſia ſequi voluiſſe. Quod ſi feciſſes; laudaſſem equidem modeſtiam: gratias etiam iudicio de me tuo retuliſſem: nunc quando faves Apicio, & iſtâ calumniâ contentionis diem impuriſsimo reo profers, extorquebo ab iſta contumaciâ argumentis & oratione jus meum, & hujus

accuſationis poteſtatem quam voluntati tuæ debere me fuerat æquius, ab æquitate Iudicum exorabo breviter: neque enim aut illorum tantã gravitatem & occupationem in re facili detinere convenit, aut nos impetum dicendi eóſque ſpiritus quibus flagitiorum hujus nepotis impuriſsimi exagitanda importunitas, eſt in hac proluſione dicendi conſumere. Itaque initium dicendi ab æquiſsima quomodo mihi perſuadeo poſtulatione faciam. Ne mihi Cẽſuræ poteſtatem, cujus adminiſtratione legitima definitione temporis perfunctus ſum, gloria & appellatione immortali fruor, hoc primum die hac causâ, hoc judicio abrogandam putetis. Quid enim facis aliud M. Curi cum reprehenſionem vitioſi hominis Catoni aufers, tibi vindicas, niſi Cẽſuram de Civitate tollis, magiſtratum ampliſsimum in ordinem privatus cogis, poteſtatem in civitate libera ſine ſuffragiis vſurpas, jura majorum convellis, conſuetudinem abrumpis, vim legum enervas: Quæ tot & tanta crimina vnâ cupiditate ſuſcipere, vide per Deos Imm. ne iſtâ ætate ſerum, iſto tempore importunum, iſto conſeſſu ſeveriſsimorum iudicum alienum videatur & periculoſum. Vniverſi me cives mei magno ſtudio, multis nobliſsimis præteritis, Cenſorem caſtigandis moribus præfecerunt: vnus ne tu doles? tu redarguis? tu intercedis? tu repugnas? Tu ne tribunis omnibus audacior: tu meis invidis impotentior, immoderationem plebeiæ cupiditatis cum arrogantia patriciæ ſuperbiæ in Catone oppugnando, populi iudicio corrigendo, civitatis infringenda voluntate, comitiorum contemnendo ſenſu coniungis? aut potius quia hoc ineptè; ne dicam ſceleratè; fruſtra, ne dicam non impune, faceres; diverſam regionem calumniæ ſequeris, imperitiâ potius quam amentia certas: vim & notionem verbi ſollicitas: negas

hoc Cenſuræ appellationem ferre, hanc eſſe poteſtatem huius nominis. mirari poteram ignorare te rem in populari vſu poſitam: tamen ignoſcam potius inſtitutioni tuæ, liberalitatis iuxta omnis & ciuilitatis experti. ſæculo etiam ſi vis & illi ruditati temporum tuorum aſpergam partem aliquam huius culpæ. cæterum ſequereſis in templum Salutis & cum illam ſtatuam non ſine inuidia ſuſpexeris quam mihi ciues mei monumentum virtutis, ſpem gloriæ, fructum immortalitatis erexerunt, (cui ſimilem tuam aliquam oſtendas mihi velim niſi graue eſt) tum ſubſcriptionem baſis iubebo te legere quæ ſic opinor habet.

M. PORCIO CATONI
M. FILIO.

QVOD. ROM. REM. CORRVPTIS. MORIBVS. AD PEIORA. DECLINANTEM. BONA. DISCIPLINA. SANISQVE. INSTITVTIS. CENSOR. CORREXIT.

Vides-ne vtrumque vno hoc teſtimonio confici: Et eſſe Cenſoris, libidinem ac petulantiam effrænataſque cupiditates hominum ac flagitioſam viuendi rationem authoritate ac ſeueritate coërcere: cuius eiuſdem officii ſpecimen atque exemplum edere iſta lurconis impuriſsimi accuſatione geſtio: Et me Pop. R. iudicio, illo fungendo magiſtratu, diligentia ac ſanctitate diſciplinę meruiſſe, ne mulctādus, vt modeſte dicā, & ab omni vſurpatione eius nominis excludēdus ac repellēdus viderer. Poſſeſsionem igitur hanc adhuc teneo, nemine præter Curium, non tribuente ciuium meorum. Cenſor adhuc ſum. illa appellatio cum mei mentione nominis, famæ vetuſtate, poſteritatis commendatione confuſa eſt. illa me functum magiſtratu dignitas, illa me ſeneſcentem gloria, illa me mortuum immortalitatis adytis memoria conſecrauit. ita pro-

priè Cenſor appellor atq; Cato, quid hoc nunc igitur controuerſię eſt? quid pugnas quid quęris Curi? quid horum infirmas? méne Cenſorem negas? An id contendis, Cenſoris non eſſe mores corrigere, improbos arguere, flagitia damnare, luxuriem, profuſionem, intempeſtiua conuiuia, voluptatem, mollitiem, libidinem accuſare? Quamquam vt non eſſent illa magiſtratus & imperij mei: vide num diſcedam ab inſtitutione vitæ meæ. num teneā conſuetudinem. num deficiam ab hac perſonâ & profeſsione frugalitatis. Clariſsimum ego noſtræ ciuitatis, nobilitate, rebus geſtis, opibus, amicitiis florentiſsimum conſularem hominem Lucium Quintium propter vnius conuiuij flagitium frementibus & indignantibus multis Senatu eieci. aſotum iſtum nequiſsimum qui in tricliniis comeſſando computruit, accuſare mihi vt liceat modo poſtulo. Ego idem invaleſcentem & ſuperſtitione corroboratam, impunitate confirmatam turpiſsimam Bacchanalium licentiam oratione protuli, compreſsi, pudore omnium inuidiáque obruj. hunc ſphanaticum Apicium cuius totam quanta eſt bacchanalia vitam occuparunt, nunc probris conſcindere & obiurgationum aculeis meritiſsimum cruentare non licebit? negate, Iudices, hanc in Inferis mihi veniam, ſi vllam apud Superos vitæ partem ab inſectatione perditorum abire mihi vacuam paſſus ſum. ſin autem ab adoleſcentia ad extremam vſque ſenectutem nullum finem improborū laceſſendorum feci: ſi decrepita confectáque iam ætate nonagenarius Serg. Galbam Impurum hominem iudicio poſtulavi: ſi nihil ad omnem contentionem, inimicitijs ſuſcipiendis, periculis adeundis, mihi reliqui tota vita feci; date, Iudices, date vel hunc fructum labori, vel ſolatium ærumnæ, vel remunerationem virtuti meæ, vt meum vetus quoddam

& ex

& ex longo collectum odium in obſcœnum vnum caput verâ & legitimáque accuſatione liceat effundere. Cum præſertim vt alia deeſſent omnia, facultate certe aliqua & exercitatione dicendi æmulo meo Dentato, vel ipſo judice ſim ſuperior. In quo, fatebor, illud inopinatè mihi contigit vt iſtum hac in profeſsione mea potiſsimum adverſarium experirer, qui cauſam nullam vmquam dixerit. Equidē cum non putabā fore vt Romanorū mihi quiſquam hanc accuſationem invideret: tum ſi quid eſſet à quoquam pertimeſcendum. ab iſto potiſsimum Craſſo, ab illo Antonio, aut ab hoc Tullio periclitari me putabam. à te vero Curi idiota atque illiterato homine, vaſto inſuper ac retruſo, omnis liberalitatis doctrinæque funditus experte, fator nihil vmquam tale formidabam. Tamen quia iſta fronte, iſto ſupercilio tam erecto, iſto tam certo ac confidenti oculo minari neſcio quid videris hujuſmodi, vt operam te dediſſe Rhetoricæ apud inferos præ te feras: experimentum capiam hujus novæ facultatis tuæ. favebo etiam, quod minimè putares, & argumentum orationi tuæ conformabo. hoc enim tibi, dicendo conficiendum eſt: æquius eſſe corrigendis moribus privatum hominem quam Cenſorem P.R. præfici. Catonem levem quendam hominem ad caſtiganda vitia authoritate carere. Eundem nihil in vitâ adverſus improbos ſeverè, adverſus potentes liberè, pro frugalitate contrà nequitiam, pro moderatione contra libidinem ſuſcepiſſe. Tum ſi hoc luce clarius oſtenderis reſtabit illa loco coronidis appendix orationis, pars vltima qua vincas accuſationem flagitioſi cauponis denegandam diſerto & exercitato cauſis dicendis Oratori; infanti vero & muto homini tribuendam.

DIXI.

*His a Catone peroratis cum conferrent capita Iudices & commoti viderentur Manius Curius hunc in modum locutus eſt.*

## MANII CVRII DENTATI in M. P. Catonem Divinatio.

# ORATIO VI.

AVDISTIS orationẽ acris & parati hominis, Iudices, vtinam tam veracem & ab omni fuco calumniáque ſynceram, quam diſertam (quid enim diſsimulem aut judicium aut periculum meum) diſertam, inquam, & copioſam. Nunc cum vnâ cupiditate homo præceps raperetur, ita exultavit illo torrenti ac redundanti verborum flumine, vt in illo æſtu ſæpius iracundiæ quam cauſæ ſerviret. Mihi vero illud in hac cauſa comparatum videtur optimè & ad meas rationes aptum in primis, quod mihi muto (vt in extrenâ oratione ſua M. Cato poſuit) & infanti homini ejuſmodi refellenda oratio eſt quæ ſine vllius contentione ſe ipſa confutet, & tamquam glacies quædam futilis ad tantæ hujus

veſtræ gravitatis ac ſapientiæ radios primo ſtatim oppoſitu contabeſcat. In quo ſane pace tua dixerim, prudentiam quâ tantoperè te jactas illam Senatoriam & judicium cenſorium, Cato requiro, Quid tu cum intelligas aliam eſſe longe concionis orationem aliam Senatus, ac diverſa quadam arte, delectu & conformatione verborum & ſenſuum judicum gravitatem quam temeritatem multitudinis commoveri: tamen hos tales viros idoneos arbitratus es quorum religioni cavillatiunculatum enucleatis argutijs & conquiſitis ad faciendam calumniæ pompam verborum phaleris fucum facere conareris? Quamquam hoc mihi, Iudices, ferendum multo æquius quam vobis eſt: ita tranſverſum in me petendo æmulum meum ferri, vt prius apud quos dicat judices, quam adverſarium contra quem veniat lædat. Nunc illæ mihi multo facillimæ reliquuntur partes ejus orationis arguendæ quæ cum impetum vt, credo, meminiſtis, ab arrogantiâ ceperit, in contumeliâ tandẽ acquievit. medium porro & vniverſam quanta eſt ejus complexionem & ſeriem ab imis vnguiculis ad ſummum verticem falla ia & mendacium occupavit. Nam illud quem tibi putaſti M. Cato conceſſurum quod in principio tamquam tuo jure ſumpſiſti, accuſationem improborum ad ditionem authoritatis cenſoriæ tamquam rem propriam pertinere? O dij immortales cujus hoc Reip. civis diſputat? nempe ejus cujus antiquis inſtitutis & veteri conſuetudine omn s accuſandi ratio ab omni ætate alia atque ordine repulſa adoleſcentulorum ambitioſæ loquacitati permiſſa & condonata ſemper eſt. Te ne iſto vſu aut hoc neſcire aut oblitum eſſe Cato, aut cum infixum teneres ſenſibus, tam exiſtimationis tuæ, noſtrorum judiciorum & cogitationum tacitarum ſecurum hoc diſſi-

mulando fuiſſe,vt contra conſcientiam tamen ruę-res? Annos nondum viginti natus hic Craſſus illum Carbonem accuſatione perculit. Dolabellam adoleſcēs repetundarum poſtulavit Cæſar. At illum immaniſsimum Verrem vir jam ille quidem verumtamen ædilis accuſavit Tullius.num quis horum aut Cenſor ipſe fuit,aut Cenſorem æmulum actionis & adverſarium expertus eſt? atque hanc quidem Ego conſuetudinem, loquar enim liberè, minus ſane probo. multisque illud ſapientibus aſſentior:longe dignius & ſanctius religionem legum in certorum ætate jam matura virorum gravitate,quam, in iuuenum ętate pręferventium dicacitate verſaturam. verumtamen inde nimirum poteritis, Iudices ſtatuere, quorſum illa pertineret querela tam gravis oratoris cenſorij, cum is in me paulo ante quadrigis invehens jura majorum, quæ nimirum ego convellerem, conſuetudinem quam abrumperem, vim legum quam enervarem,criminosè ſane ac dolenter appellabat. At ego ſi placerent iſtæ tragœdiæ aut totum hoc bullatæ puerile genus eloquentiæ iſtam ætatem aut deceret aut delectaret, reponerem tibi tuas phaleras multo cum facilius tum æquius M. Cato cum cenſuræ nomen,& majeſtatem,authoritatem ordinis,vim magiſtratus, fidem, exiſtimationem, tempora denique & mores adverſum te iſtamque tuam illudendi licentiam exclamarem. Quid tu enim per fraudem graſſaris? tu verum diſsimulas? tu leges opponis eas quæ juſſæ numquam ſunt? tu conſuetudines fingis? tamquam hoc ſperares, quod nefarium eſt,Diis te ipſis poſſe præſtigiis tuis imponere? verumtamen placet agere clementius: mitiori te lege poſtulo Æmilia; qua ſummus in noſtra civitate magiſtratus Dictator Mamercus Æmilius cavit, ne pluſquam annua ac ſemeſ-

tris cēſura eſſet. Tu vero quid moliris, quid cogitas Cato, cum magiſtratum ſeſquiannuū duobus jam ſæculis continuas; & poſt ducentos annos quam creatus cenſor es, cenſuræ tibi vindicas authoritatem & nomen, quæ ne ſecundo quidem vertente anno niſi ſcelerate & per ſummam contumaciam retinere potuiſti: Cenſor fuiſti, Cato: concedo. ſed fuiſti, jam non es. aut ſi quid contra tendis perturbator es otij, pacis hoſtis, libertatis oppreſſor publicæ, qui imperandi & parendi vices ad exæquationem inter ſe ciuium ſapientiſsimè temperatas, importuna dominandi libidine confundis & obruis. At ille vel Corinthi Periander, vel Athenis Piſiſtratus, vel in noſtra civitate Cæſar occupatam iniquiſsimè tyrānidem morte poſuerunt: tu vnus inventus es qui magiſtratum privatus, & imperium etiam mortuus retineres. Etiam ne apud Inferos regnare vis? nullus ne finis oſtenditur infinitæ huius tuæ potentiæ? Quouſque Iudices hanc feretis impudentiam ambitioſi mortui? obſiſtite per Deos immortales & providete, ad maius longe aliquid audacia iſta graſſatur. Vos petit iſta ambitio: vobis hanc ſedem atque iuriſdictionem invidet. hanc laudem hanc gloriam affectat vt ipſe iudicandis mortuis vobis, Iudices, expulſis præficiatur. Quam ſi mentionem, vt par eſt, abominamini: ſi libidinem coërcendam exiſtimatis: ſi denique graviſsimis ſuppliciis Virgilium illum addicendum ſtatuiſtis quod auſus eſſet ſcribere; iura mortuis apud inferos dare Catonem. Quæſo, Iudices, inſurgite, eamque perſonam ac ſeveritatem vt in veſtro, ſi minus periculo, iniuriâ certe maxima ſumite, vt ne cuiquam deinde aditus ad ſpem tam improbam relinquatur. Sed iam ad me causámque revertar meam. vidéſne quanta fallacia argumentationis tuæ Cato fuerit. Dabo enim

tibi iam animi gratia quod paulò ante vaniſsimum eſſe clariſsimè demonſtravi, Cenſoris eſſe accuſare improbos quid? tú ne iam Cenſor es? an hoc ius fáſque eſt vt quod quiſque aliquando in vita fuit in eo vt æternùm apud inferos perſeveret? Cenſor tu fuiſti Cato. & hic quoque qui nunc ſervit horum afflictus iudicio Rex olim fuit Alexander. numquàm ne intelliges, vices eſſe rerum omnium: neque ſemper vitæ prioris prærogativam & famæ prçiudicia in demandandis apud Inferos honoribus ſequi Plutonem ſolere? Tu vero ſi mihi credis ita memento quid fueris, vt quid modo ſis non obliviſcaris. Reſtat vltima pars eius orationis, in qua ille valde niti & præſidere videbatur, oſtentatione facultatis ſuæ: cum illam ſuam vim dicendi cum noſtrâ (ſic enim dicebat) infantiâ pudenter in primis & modeſtè verecundus homo contenderet. In quo fatebor equidem paratiorem hunc venire longè. quem etiam ajunt ætate jam decrepita capularem ſenem literis græcis operam dediſſe vt apud vos ea lingua cuj inſueviſtis perorare poſſet. mihi vero longè ſemper antiquior viuendi cura quam loquendi fuit. neque illi ſuam aſtutiam inuideo, qui ad benè dicendi palmam etiam per malè audiendi periculum aſpirauit. Hoc tamen de me ipſo (condonate Iudices hanc ſuperbiam neceſsitati cauſæ meæ) hoc, inquam, de me ipſo timidè ac modicè commemorabo: neque nos in infantia ſenuiſſe. Eſſe nobis aliquam vſu rerum ex omni varietate vitæ delibatam ac repoſitam ſermonis copiam, cujus equidem malim vos præſenti delectare fructu, quam nimis magna expectatione ſuſpendere. Quamquam maximam mihi laboris contentionisque detrahet in hac accuſatione partem veſtra primùm, Iudices, incredibilis ſapientia, quæ

indicatione tantum eget & deſignatione ſummarerum, tum ad intima & abſtruſiſsima quæque vi quadam ſua ſine vlla docentis contentione penetrat. Deinde criminum hujus helluonis impuriſsimi tum fœditas inſignis, tum impudentia, qua ſemper vſus incredibili cum numquam vllum ſuæ nequitiæ teſtem declinarit, cum vltro vitia ſua omnium oculis oggeſſerit: cum nullas umquam latebras ſuæ turpitudini quæſiuerit: ſed ſuam illam flagitioſiſsimam viuendi rationem palam in luce civitatis præ ſe ſemper tulerit, omnem illam operam quæ permagna ſolet eſſe Accuſatorum in eruendis ex occulta conſcientia criminibus & ex minimis indicijs ſuſpicionum vel tenuiſsimarum indagandis, nobis vt omittere liceret effecit. denique vix reſtabit ullus uſus vocis meæ niſi forte ad citandos & rogandos teſtes, quorum ingentem copiam ſanctiſsimorum habeo. Agetur enim, id quod placere vobis inprimis video, producta fide tabularum, conſignatis & teſtatis actis, ut nec ſpes ulla Reo, nec tædium Iudici, nec labor Accuſatori, nec diutius hac in re calumniandi locus Aduerſario relinquatur. Cuius quoniam nunc ſatis argumenta refellimus, commemorandum mihi quam neceſſario tam breviter eſt, quibus ego maximè rebus fretus ad ſpem hujus contentionis acceſſerim. Atque hic nihil ego, Iudices, ambitiosè dicam, nihil alienum à cauſa commemorabo: quem utrũque ad lapidem offendiſſe Catonem memini. tres meos couſulatus cum totidem triumphis omittam. Expulſum à me Pyrrhum ex Italia non prædicabo. Victum denique à me tribuno plebis ſupercilium cenſorium, & vim illam atque impotentiam ſuperbiſsimam hominis cupiditate magis quam calamitate cęci, tui Cato ſimilis Appij Claudii a me fortiter repreſſam & ad legum rationem actionis meæ

conſtantia tandem exæquatam, non iactabo glo-rioſius: quorum tamen quantula pars conſulatum illum Cato tuũ vnicum & hiſpanienſem militiam ſummam rerum tuarũ non obſcurat atque obruit? Ne in illo quidem contendam nimium, quod ad rem tamen pertinet maximè, in ſenectute præ te mea, quam paulìſper vereri tanto iunior debueras, atque intelligere hanc canitiem me, vel ſi nihil eſſet aliud, ſuperiorem in omni tecum contentio-ne præſtare. Eſt enim illa non Deorum aut Homi-num conſtituta ſapientia, non ciuitatum authorita-te ſancita, non uſu comprobata populorum, ſed à natura ipſa noſtris penitùs animis impreſſa lex, vt in omni comparatione dignitatum magnum ſanè ad ſtatuendum alterutram in partem, præiudicij momentum & pondus habeat in naſcendi ordine prærogatiua vetuſtatis: cuius in poſſeſsione iuris tanta iam præſcripti longinquitate ſæculorum re-tinere vos æquum eſt, Iudices, noſtram hanc æta-tem, quæ cum ſuis alioqui malis vrgeatur, mul-tiſque commodis iuventutis careat, ſi hanc ei maieſtatem ab inuerecunda iſta nepotum noſtro-rum ac poſterorum petulantia ſinetis extorqueri, perpetuis in ſordibus ſine ſolatio conticeſcet. Tu vero vel tui cauſa debueras Cato non infregiſſe reuerentiam ſenectutis: neque hoc committere ut è recentiorum iſtorum togatulorum triobolaris tribulis quiſpiam, aut troſſulus glorioſulus cati-nenſi pumice dedolatam lanuginem delicatæ bar-bulæ caniciëi tuæ illi cenſoriæ atque horridæ tuis ipſius exemplis præferre poſſet. Sed iam caput af-feram ipſum Iudices rationis omnis & fiduciæ hac in cauſa meæ. Veriſsimè hoc dictum eſt à ſapienti-bus: in eo qui ad accuſandum nomen ſuum profi-teatur integritatem atque innocentiam requiri ſingularem: nihil enim eſſe quod minus ferendum

ſit quam rationem ab altero vitæ repoſcere eum qui non poſsit ſuæ reddere. Arx iſta quædam eſt ſpei iuriſque mei Cato, hic habito, hic hæreo. hinc tuas omnes machinationes vanas, hinc impreſſiones hinc conatus omnes clamoreſque deſpicio. Quid enim aut omnino accuſationẽ cogitas homo non intactus cõtagione vitiorũ, aut ad eam accedis potiſsimum in qua quoties in certorum criminum mentionem incideris, erubeſcendum tibi vel æſtuandum ac timendum ſit; aut commordentis conſcientiæ admonitione tacita; aut eo metu ne ſe reus authoritate accuſatoris in ſuis flagitiis & exẽplo tueatur. Non enim hic iam Cato Romæ ſumus, in foro, vel in curia: quibus in locis erat tibi facile regnum quoddam authoritatis obtinere apud mortales homines, ſagax genus oculorum & cutis tenus: multum illic honeſta canities, frontis ſeueritas, gravitas inceſſus, veſtis genus ipſum & ratio, multum ad plurimas vitæ ſordes occultandas valet. hic inter Deos ſumus quibus patent omnia. quorum ne cogitationi conſcientiæque rerum omnium videar diffidere, tum miſericordia quadam adductus tui, parcam equidem tibi Cato; neque tua vitia in oratione mea ponam omnia. Nihil de auaritia dicam. nihil de vſuris, nihil de quæſtu turpiſsimo fœnoris iniuſtiſsimi maritimi, nihil de inhumanitate in ſeruos tuos: quorum cum eras ætate omni per omne laborum genus abuſus, illos in ſenectute demum, ne illis paſcendis alimenta perderes, exturbabas domo. nihil de obtrectationibus, & inſectationibus optimatum innocentiſsimorum hominum, quos inuidia & ambitione præceps populari ludibrio ſine cauſa incognitos traducebas. teſtis vir clariſsimus Aſiaticus Scipio cui tua inuidia per ſummam iniuriam leuitate abuſa populari ingratæ multitudinis, to-

tius vitæ decus, militiæ fructum, virtutis præmium, extorſit. Mitto cæteros quorum eſt ingens numerus hæc enim tua perpetuæ vitæ ratio; hæc ſecta; hoc inſtitutum fuit, vt ad oblatrandam nobilitatem; cynicam proteruiam ſtoico ſupercilio comendares. Ad alia iam veniam. Te ne ſeptuagenarium cogitare de nugis adhuc? recognoſce mecum: teneſne memoria à filio tuo iam emancipato, iam patre familias, tua ſenis tanto natu domi flagitia deprehēſa? Inunc & libidines Apicii libra tuis antithetis erudite Rhetor: inuehere, & Iudices commoue: tum tibi eius defenſor vellet auriculam; & quamobrem Saloniam canus duxeris, requiret. Iam illud quod magis ad rem pertinet cui non dictum, cui non ſcriptum eſt: tempeſtiuis te conuiuiis & cœnis dubiis intemperantius delectatum: hoc ne laudatores quidem tacuerunt tui. O te igitur idoneum ad huius Lurconis quotidiana conuiuia caſtiganda? Quod ſi vnam putas eloquentiam puppim & proram in accuſatione facere, certet iam tecum & accuſationem Apicii poſtulet M. hic Lucullus & rebus geſtis & facundia te clarior. cui ſi in hoc quidem ſuas putas obeſſe debere ſumptuoſas cœnas: te quoque ipſum per Deos Immortales collige; te reſpice; & vt ſemel dicam liberè, quod nemo te iudicio poſtulat in lucro pone. Multi ſunt quibus tua ſuperbia atque illud ſupercilium per quam graue eſt. Ne crabrones irritaueris ne oſtentes te nimium, mihi crede. vulgata iam ſunt in Romana iuventute veſtra iſta ſtudia Rhetoricarum artium. ſi ſtomachum moueris cuidam paulo dicaciori Iuveni, negotium tibi faceſſet. Præclarum & glorioſum erit argumētū ſplendidæ accuſationis Cato. magna laus, magna expectatio, magnus multorū fauor, magna denique commendatio tuo periculo parabitur.

Nam ſi nondum ſentis tua illa tanta quâ vrbem oppreſſeras authoritas iam exoleuit. reſpirarunt homines ab hac ditione tua cenſoria. liberius de te iam vulgò loquũtur Quirites. Videsne Venuſinũ illũ libertino patre natum, tenuem hominem, nullis rebus geſtis, Horatium, vt tamen te Catonem ſuorum Compotorum accenſere numero non dubitauit. idque non impune ſolum tulit, ſed magna etiam approbatione omnium. Quo enim illud riſu ciuitatis ſcurra facetus cecinit.

*Narratur & priſci Catonis*
*Sæpe mero caluiſſe virtus.*

Itaque iam noſtri nepotes cum poſcunt in popina maioribus poculis, Catonem nominant. Sin dubitas pete ab hoc Apicio: quoties audiverit? quoties fecerit? vel ſi rogare moleſtum eſt, dicet vltrò ipſe. accuſa ſodes Cato. argue Apicii vinolentiam homo falerno madens: cui metymnæus cadus ſalivam fecerit. Non eſt tuum hoc negotium, abſiſte Cato. Cum erit concameranda cloaca, vel ſternenda via, aut ducendus aquæductu fons, concedam ſtatim tibi: Cenſorium enim eſt. Tu accuſationem Apicii ne mihi invideris. Meũ eſt qui vejentanum bibi Pyrrhi victor compotationes huius & noctes nequiſsimas, & pavimentum perfuſum maſsico omnium odio atque invidia conſtringere. Vos vero ne quæſo, Iudices, ne aſpernamini hanc ſupplicationem meam: ne me affligatis numquam hoc de vobis meritum. Date hanc mihi occupationem honeſtiſsimam. hanc mihi gratiam rependite, pro auro Samnitum quod reieci. Si quid vmquam tota vita vobis gratum geſsi, hic quæſo nunc oſtendite. Memini vos illud probare maxime in rebus meis cum tertium Conſul ex Capitolio in quod tertio triumpho quadrigis albis aſcenderam, domum ab vniverſa civi-

tate deductus, ad focum ligneola paropſide ſolus cœnavi, obſonium quale ex patella licet intelligere. id ſi recte & ordine ac ex vetere diſciplina præſtare viſus ſum, donate hanc mihi facultatem ſtomachum in helluonem iſtum voraciſsimum erumpendi. liceat hanc diſſolutionem caſtigare temporum, hanc iacturam morum: dignum argugumentum in quo experiatur quid dicendo poſsit Curius. Neque vos cenſura Catonis potius quam arrogantia moveat: neque tam eius orationem audiendam, quam ambitionem reprimendam exiſtimate. Quamquam ſi quid vos eius cauſa velitis, nil moveamini. iam mihi ipſe concedit. perterritus eſt. æquum ac iuſtum cenſet ætati meæ concedere: ad audiendum denique ſe componit; & antequam veſtram ſententiam audierit, ſe ipſe condemnat.

DIXI.

# ORATIO VII.

## DE S. CAROLO BORROMÆO.

FACILE jam hinc prouideo, AA, mirum viſum iri pleriſque veſtrum, nonnullis etiam forte reprehendendum, quòd qui Sanctum Carolum Mediolanenſem Archiepiſcopum celebrandum hac oratione ſuſceperim, eius nobilitatem, quæ ſumma fuit, prætercam; doctrinam, quâ excelluit, ſileam; liberalitatem, quæ in eo fuit incredibilis, tacitus diſſimulem; iuſtitiam omittam; religionem denique cæteráſque laudes eius perſonæ proprias, quarum ſe abſolutiſsimum exemplar præbuit omnium ne commemorando quidem attingam; magnanimitatem verò admirer in eo potiſsimùm, ſic prorſus ut laudationem Imperatoris videar, non Antiſtitis meditari. Ego verò ſic iampridem ſtatui, nulli eſſe potiſsimùm hominum ſectæ vel generi addictam generoſitatem; ſed omnes qui animo alto & excelſo ac virtutibus exaggerato homines eſſent, ſive in Lyceis Philoſophorum deliteſcerent, ſive in tranquilla civitate liberali otio fruerentur, ſive labores bellicos dubijs patriæ temporibus tolerarent? eoſdem generoſos & fortes eſſe utique, aut ne ſapientes quidem eſſe. Cùm enim Heroica virtus omnis eſt, vt robuſtum illud ip-

ſum & virile declarat nomen; tum ea mollis muliebriſque ac enervatæ naturæ contagionem aſpernari conſuevit: ut in quo laudis cuiuſcunque reſidere decus intellexeris, in eo firmitatem ac robur animi non dubites ineſſe maximum. Quod cùm adeò verum ſit ut ne Lucretia quidem illa caſta eſſe potuerit, quin fortis eſſet eadem; tum hoc certè fatendum eſt præcipua quadam ratione pertinere ad Paſtorum Eccleſiæ ac ſacrorum Antiſtitum munus generoſitatem: quâ ſi deſtituti ſint, nec perditorum hominum conatus infringere, nec innocentiam ab iniuria tueri, nec ſaluti animarum à Dæmonum inſidijs cavere, nec vllam denique partem ſuſcepti muneris implere poſsint. Quamquam ut non eſſet laus illa communis Præſulum, qui eius authoritatem nominis ſanctimonia vitæ ſplendoréque operum ſuſtinent; tua certè tanta fuit, Carole Borromæe ſanctiſsime, iam à prima pueritia ad omnem laudem incitatio, tam magnifica contemptio caducarum rerum, tanta in deſpiciendis iis, quæ magna vulgo ſunt, Heroicæ mentis excelſitas, vt tuæ naturæ tuæq; indolis propria, tecum nata, tecum alta fortitudo videatur. An enim cùm extrema pueritiâ principatus avitos & domeſticam gloriam Chriſti humilitate mutabas, cùm voluptates vndecunq; blandientes rarâ ſeveritate continentiæ in illo ætatis flore adoleſcentulus reſpuebas, cùm Sirenum illas blanditias, illos innocentiæ laqueos, illas petitiones nefarias, illas inſidias tuæ pudicitiæ à nequiſsimis capitibus comparatas non declinabas ſapientiùs, quam fortiùs ſuperabas; an tum, inquam non innatam tibi generoſitatem, invictámque fortitudinem tantarum in rerum conſilium advocabàs? non illam laudem meditabaris? non in hac magnificentia erectæ mentis habitabas? non hoc robore mu-

niebas animum ? non hunc adverſus omnia tela clypeum, adverſùs omnes hoſtes gladium habebas? non denique in illâ triumphalis quadrigę laudum incitatrice virtute, tua iam tum vita tanquam in cardine vertebatur? Sed hæc, dicat aliquis, obſcuriora ſunt, niſi lumen exemplorum adhibeatur. Audio: commovebo diſputationem; deſtinabo metam contentioni meæ; gyros orationi circundabo; certam aliquam ex tota copia rem ſeligam; vnum quoddam è ſexcentis inuſitatæ fortitudinis documentum ex actis Sancti Caroli repetam, ſi voletis, & retractabo, ex quo vos deinde pro veſtra ſapientia de vniverſo genere ſtatuatis.

Erat in eo primo mane ſanctus Antiſtes, vt pro more ſe in ſacram ædem rei divinæ faciendæ causâ conferret: cùm ecce tibi magno ſtudio advectus incitatiſsmâ contentione, veredorum adeſt eques pro foribus. Apparebat eſſe nuntium magnæ rei. Is ſublimi adhuc ſpiritu, vultu ſanè ſollicito ad Cardinalem vt introducatur flagitat. Nulla facta mora eſt. Erat iſte inter Inſubres nobilis in paucis & copioſus, mulierémque lectiſsimam Borromæi Comitis filiam in matrimonio habebat. Vt coram eſt ventum, poſt complexus mutuos, Miraberis profectò, inquit, quid mihi tam alieno tempore inopinatus hoſpes velim. Vitæ tuæ periculum eſt: certiſsimis id compertum indiciis mox intelliges. Iſto perculſus metu huc advolavi, vel propulſator cladis, vel comes futurus. Ac quamquam rapiebar ciſiis, nullam mihi tamen ſcito viam vnquam longiorem viſam. Nunc illum ſtrenuitatis meæ fructum capio, quòd perditorum conatus occupavi, téque amplector incolumem. Dira coniuratio in caput tuum eſt, cujus primum indicium non contemnendus author, vir eâ quâ ſcis pru-

dentia, familiaris noſter, Savonenſis Epiſcopus ad me, quem opportunum primum habuit ex tuis neceſſariis, detulit. Evolvens chartarum hunc faſciculum: in eo perſcripta cuncta, viam, progreſſum, conſilium, authores & participes meditati ſceleris, comperta teſtatáque omnia leges. Interim iſtum mihi proditurí ornatum abijce: reſume domeſticam veſtem: abſtine publico. Illa mecum erit cura, vt ne in domûs hujus penetralia graſſari vis vlla poſsit. Hæc cùm ille maximè eo vultu eoque æſtu ac curâ diceret, quam atrocitas rei poſtulabat, leniter arridens Carolus, Quis falſo te conſternavit periculo vanus rumor? Abſiſte ſis, heus tu, inutilémque ſollicitudinem abijce. Equidem qui neminem vnquam læſerim, adduci vt credam nequeo eſſe homines qui me velint perditum. Quin ſi quid eſſet inexpectati mali, id experiri malo quàm metuere. Quòd me vt domo contineam admonês, facis tu quidem benevolè dum hoc præcipis; ego ineptè facerem, ſi parerem. Deſtinatum me negotium vocat: non eſt conſuetudinis aut naturæ meæ plus timori dare quàm officio. Tum ad famulos converſus, Huc ignem, inquit, ocyùs. Qui cùm eſſet allatus, faſciculum libellis ſanè grandibus verboſiſque fœtum, vt erat clauſus, ſigillis illibatis, Vulcano totum conſecravit. Tum, Eamus, inquit, in templum pro illis quos narras Sicariis Deo Opt. Max. incruentum ſacrificium oblaturi. O mirum atque inauditum robur animi! O prodigio ſimilem mentis invictæ conſtantiam! O Heroicam divinámque vim! Quid enim ego te hominem prædicem, qui tam proprium mortalis hujus generis mortis metum virtutis quodam miraculo ſuſtuliſti? Nihil eſt miſeris mortalibus ſpiritu ac vita charius: hæc illos cura noctibus, hæc diebus exercet: hoc ſemper agunt: hîc ſunt

hic ſunt: hinc toti pendent: hic illorum vnus in ſecuritate labor, corroboranda valetudine ſpem alere procendæ vitæ ;· tum vero in diſcrimine ſi quod inciderit, nihil ſibi ad omnem induſtriam contentionemque facere reliqui vt mortis omnem quàm longiſsimè ſummovere contagionē queant, & nullam non experiri rationem expediendæ ſalutis. Tua veró quæ iſta tanta tam pretioſæ rei profuſio eſt ? quæ diſſolutio in eius rationis diligentia, quæ in cæterorum hominum rationibus ſola vtramque paginam facit ? Lucem-ne iſtam pulcherrimum Dei munus aſpernaris ? An mortem malorum omnium triſtiſsimum appetis ? Voluptatis-ne tædio, an contemptione doloris tantus tibi rigor naſcitur ? Vitam denique abijcis? at quam vitam, Deus immortalis ! Quæ rerum omnium copiâ circunfluebat, ;quæ redundare poterat delicijs, qnæ omnium ſermonibus laudabatur, quæ honorum latè cmnium radijs collucebat; quam Orbis terrarum ferebat in oculis ; quam vt Deus fortunaret, ſupplex quotidie poſtulabat Eccleſia ;' quâ ſuam Reſp. contineri ſalutem & tranquillitatem arbitrabatur.

Multos olim accepimus aut deſperatione meliorum adductos, aut doloris impatientiâ victos, aut viuendi ſatietate fatigatos fatalem ſibi diem admoviſſe manu, ac voluntarium exitium conſciviſſe : quos vt vel primo veræ fortitudinis āfflatos unquam ſpiritu exiſtimem, ne præiudiciis quidem illius imperitæ vetuſtatis adducar. Quid mihi tu tantopere Brutum laudas qui ne moreretur eſt mortuus ? Quid Catonem, qui ex medio vitæ certamine per ignaviam fugit ? quid Themiſtoclem bellatorem tantum, qui idem auſus eſt quod luxurioſa muliercula Cleopatra ? Multum verò Mithridates fecit, qui cùm ſibi moriendum cerne-

ret, lictoris laborem occupauit, ſecurique hoſtiſtili maluit quàm gladio ſuo parcere. Quos qui admirandos & in fortitudinis vel maximæ numerandos exemplis prædicant, expecto equidem quàm mox mercatorem in naufragij periculo proijcientem merces liberalitatis laudem ferre maximam ſtatuant. Plurimum intereſt moleſtam tunicam deponas an pellem; pondus an ornamentum abijcias; vitam florentem & iucundam, an calamitatibus obrutam & luctu ac ſqualore deformatam ſpernas? neceſsitatem denique impotentiámque infrænis animi, an arbitrium conſideratæ mentis in aleâ adeundâ ſequaris. Quæ ſi quis æquâ lance perpendat omnia, næ is facilè conſtituet, quantùm illas omnes tralatitias hiſtorias vnico iſto facto verâ laude magnanimitatis S. Carolus ſupergreſſus ſit, neque ſanè dubitabit quin ad ſummum eius laudis apicem aſpirare videatur.

Sed reclamant videlicet, nòſque de ſua porticu ſuperbè deſpectantes ſilere iubent barba freti pallióque Zenonis aſſeclæ. Noſtri hoc, inquiunt, proprium Sapientis eſt caſus omnes humanos animi altitudine ſupergreſſum, quadam in arce mentis habitare metus omnis ac perturbationis expertem, totum ex ſeipſo aptum vereque liberum, neque vlla ex alia ſpe aut re ſuſpenſas vivendi habere rationes. Magnifica oratio, niſi eius vanitatem vel nationis levitas, vel infamia ſectæ, vel authorum infirmitas proderet. Quid enim aut à Græculorum mobilitate conſtans, aut à Stoicorum fuco ſincerum, aut à cupidiſsimorum hominum perturbatione pacatum expectari ac moderatum poteſt? quantumvis magnus & ad gravitatis Philoſophicæ authoritatem affectatus ſermo videatur? Denique cur apud iſtos ego Socrates & Chryſippos & Panætios, quos quotidiana conſuetudo

vitæ & iracundos & arrogantes arguit, & aſtutos & avaros, veram ſapientiam & fœlicitatem quæram, quanvis probabili honeſtiſsimæ orationis tectorio multas vitæ ſordes occultent: quorum vnam iſtam eſſe laudem video, quód adverſùs ſua ipſorum vitia facundi ſanè ſunt; neque tamen adeò vt perſuadere nobis poſsint perſonam illam quam omnibus exornant artis coloribus, boni, conſtantis, tenacis propoſiti fœliciſque viri cuiquam imponi poſſe iuſtius, quàm noſtro Carolo. Fingite enim vobis animis quod oculis nunquam ſubieciſtis, Auditores, & tacitis cogitationibus informate ſpeciem illam excellſam atque magnificam aduerſus omnes caſus invicti animi veluti mortalis cujuſdam Dei. Homo eſt ex omni virtutum, laudum, miraculorum genere conflatus, ad Philoſophorum, ſi qui de beatitudine ſubtiliùs diſputaſſe viſi ſunt, omnium vota, placita, cogitata divina quadam manu conformatus; in quo nihil ad implendum Sapiẽtis nomen deſideraret Socrates, nihil Plato, nihil Zeno; cui primas fœlicitatis, Crœſo licèt audiente, nihil cunctatus Solon delaturus fuerit; cui palmam ſapientiæ poſthabito Socrate Pythius Apollo tributurus. Intuere illum ab omni parte beatum inter mortales vnicum, in quo uno ſicut in Steſichori Catanenſi Mauſolæo omnia octo deprehendas. Aſpicis? mirabilis eſt. Minaris? interritus. Impellis? immotus. Impugnas? invictus. Quippe omni conſtantia, æquitate, gravitate omniúmque ſeptus comitatu laudum animus nihil admodum humani pertimeſcit. Stat in arce quadam rationis & conſilij contra omnem impetum apprimè comparatus Imperator. Qui cùm rerum longè omnium primã virtutẽ habeat, id verò ſuſque déque habet, velit eſſe nec-ne ſecũda fortuna: quæ vt adverſa ta-

men & maligna ſit, aliquid poteſt ad gloriam adijcere; nihil de quiete, nihil de conſtantia delibare. Non illam molem ſævientis cæli turbines, non concitati maris procellæ, non ardentis ætheris fulmina quatient. Inſtet ſtricto gladio, poſito equuleo, conſtructo rogo, candenti tauro, ſuccincto carnifice, inflammatus iracundia, truculentus, atrox tyranni vultus atque oculus. Adſit, irruat impetum faciat, accenſa cupiditate, agitata ſcelere, inſtigata dementia, furore occæcata, ferrum faceſque prætentans ſeditioſæ plebis concitata multitudo: noſter ille de grauitate, de conſtantia, de æquitate, de fide, vel latum vnguem non diſcedet. Proh Deus immortalis! quanti roboris eſt omnibus inuidiæ dementiæque iaculis impenetrabilem eſſe hominem! Quanta excelſitas coniurati terrarum Orbis impetum erecta fronte ſuſtinere! Quanta ſublimitas concidentis naturæ ruinas non pavente pectore, non pallente vultu, ne nictantibus quidem palpebris excipere! Quiſnam iſte, qui invictis humeris molem vniverſorum Orbium Atlas ſubeat? Quiſnam hic, qui ſub Atlantis onere non ſudet Hercules? Quis hic animus? quæ indoles? quæ vis? quæ deſcriptio? quæ forma? quod nomen cœleſtis huius hominis? Vno verbo colligam, Auditores, quæ tam multis explicui: Carolvs hic eſt. Idque adeò cognoſcite quàm non gratis dicam, experimentum mecum capite. Moriendum eſt Carole. Moriamur ſanè: quid tum poſtea? Sed dira & cruenta morte moriendum eſt. Moriamur tamen. Inſidiæ ſunt in angiportu. Ne hanc quidem ob cauſam carebo publico. Munires ſaltem lorica latus. Ego vero non faciam. At virorum fortium & armatorũ comitatũ adhibe. Firmẽt latus latrocinio qui metuũt: mei milites pauci & inermes erunt Clerici, Quo iam hac ipſa ho-

râ ruis? cōſiſte pauliſper, ne punctū quidē moræ faciā. Cognoſce nomina coniuratorū, provide conſilia, lege ſeriem omnis iniuriæ. Otioſum id quidem eſt: graviora me vocant. O divinam magnificentiam invictæ virtutis? Quem tu mihi iam Cæſarem, quos Alexandros narras fortitudinis gloriâ præcellentes, quos omnes ad inſidiarum mentionem ac ſuſpicionem primam conſternatos video, querentes, indignantes, anxios, ſic tanquam ſummum malorum omnium mortem inultam arbitrarentur. Somniaverat neſcio quid Calpurnia: dubitat Cæſar, cunctatur, tergiverſatur, moras nectit, talis vir ire in Senatum expectatus negligit; denique niſi hortator Brutus adſit, ſuperſtitione ac terrore Panico obſideatur domi ſuæ victor ille mundi. Quid ille Macedo ad primum conjurationis indicium vt cohorreſcebat, vt æſtuabat, vt impotenti acerbóque animo per ius omne injuriamque bacchabatur? Teſtis Parmenio, quem virum de ſe optimè meritum ob leviſsimam ſuſpicionē inauditū crudeliſsimè necavit. Teſtis Philotas, quē fortiſsimū nobiliſsimúmque iuvenē ſibique intimâ familiaritate conjunctū ob delatū indicium neſcio cujus iurgij, quod conjurationem ille vocabat, catâſtis atque equuleis ſuppliciiſque omne genus ſervilibus excruciatum, inaudita non ſolùm causâ, ſed etiam immanitate trucidavit. Teſtis Lynceſtes Alexander, cui miſero, nihil commune nomen, communis patria, communis educatio inſtitutióque puerilis, nihil ætas, nihil nobilitas, nihil dignitas profuit, quo minus quod eum de vita Alexandri ſuſpicatum aliquid aliqui ſuſpicabantur, poſt triennis carceris miſerias lanceis confoderetur. Teſtes innumerabiles alij, quos idem ille Rex, qui acerbitate Tyrannicâ non fœdavit modò fœlicitatem ſuam, ſed pene etiam

æquavit, vt prima increpuerat aura periculi, conjurationiſque vox, credulitati ſolicitudinis de nihilo anxiæ crudeliſsimè condonavit omni carnificinâ ad ejus arbitrium lacerandos. At quid vterque ille, inquies non audebat in prælio? Credo equidem, cùm armis communiti, armatarum legionum ſepti robore, vel inter triarios tuti, vel mediâ phalange deliteſcebant alieni mali teſtes. Quis hoc quidem non audeat? Aut quis inficietur maximè tutum & a periculo remotum in acie ſolere eſſe caput Imperatoris? Quid horum in Sancto Carolo, qui nec accepto nuncio conjurationis extimuit & oblatam facultatem inquiſitionis omiſit, & per ſuſpecta infeſtáque loca nudus ac ſolus erravit, vnus ad omnem cladem atque impreſsionem expoſitus maximè ne ſpe quidem aut animo repellendæ aut vlciſcendæ cladis. Magnum quippe magnum militari fortitudini ſolatium eſt in conſcientia lacertorum ac virium animóque ac ſpe vlciſcendi poſitum, Aud. vt qui ſuis armis ſuis membris, integra valetudine, robuſta ætate ſatis fidat, provocationem mortalis hoſtis, hoc eſt ſibi ſimilis, facilè audeat non refugere, ſæpe etiam vltro appetat & laceſſat. Qui verò hanc ſibi legem præſcripſerit vt ſola patientia contra vim certet, huic quantùm de ſpe detractum, tanto plus concedas neceſſe eſt Heroïcæ divinæque virtutis, cuius robore ſtet invictus animus, ſéque ad beatiſsimam alacritatem, conſtantię componat. Iam ſi vera licet dicere, quæ tametſi non probatum iri à vulgo video, dicam tamen veſtra ſapientia fretus, Aud. Iurgantium illa pugnantium-ve quæ dicitur Fortitudo, nihil ſane minus eſt. Quippe in qua impotentia, furor, rabies, iracundia dominetur. Præceps agitur ferino impetu temeritas. Cogitatio, non perturbatio virtuti præit. Qui

œſtro percitus iracundiæ ruit, qui dolore fertur ardens, qui pudore amens æſtuat, qui cupiditate cæcus rapitur, hunc cùm in hoſtium ſe vltro denſiſsimorum pila induentem cernam, audacem forſan concedam; fortem quidem pernegabo. Leviſſimos maximè quoſque illi æſtus efferunt. ferocientem ſi videas in rixa, Hectorem putes ſæpe qui nihil niſi Paris eſt. Ipſas mulierculas quàm vehementes in jurgio videmus? Quid beſtiæ vel minutiſsimæ ſi quâ perturbatione concitantur, quantos habent quámque ſævos impetus? Quæ omnia tantùm abſunt à laude veræ virtutis, quantùm à tranquillitate, qua ſemper illa gaudet atque alitur. Eſt aliquid conſtare ſibi ſemper immoto vultu, & perturbationibus eliſis vna ſe ratione gubernare. Hoc qui tantum potuerit, triumphet ille per me, victoriæ compos pulcherrimę omnium, & in templum Gloriæ quadrigis albis efferatur.

Atenim prævaricer in tua cauſa, Carole Sanctiſſime, ſi inſtituta contentione tuæ in hoc, quod prius commemoravi facinore, fortitudinis cum militaribus conatibus tam multa diſsimulem incitamenta omnis generis, quæ cum aliis præſto ſint, tibi tamen defuerunt. Nemo te dux cum hoc adires præſentiſsimum periculum ad audendum cohortatus eſt; multi etiam contraria omnia ſuadebant. Nulla te ſacramenti neceſsitas ad tubæ ſignum trahebat; imò te per omnes neceſsitudines cognati affineſque tui vt abſiſteres obſecrabant. Iam exempli quanta ſit vis, quis ignorat? Qua certè abundant copia milites in acie, qui cùm tot commilitiones ſtrenuè vadentes in hoſtem aſpiciunt, rupes ſint ſi non corripiantur contgione illius ardoris & torrente tanto rapiantur. At qui conjurationum indicia negligeret, qui ſciens prudénſque in denũciatum exitium iret: qui

nec inimicorum minis, nec amicorum precibus moveretur, qui meditatus ac volũtarius in mortẽ rueret, quotumquẽque viderat ante ſe Carolus? Veruntamen parum eſt quòd armorum virtutem in toga tenuiſti, quòd Imperatores ab ævo fortitudinis gloria clariſsimos hac ipſa laude ſuperaſti, quòd Philoſophorum cogitationes illas ipſas magnificas & vota improba virtutis quadam abundantia vel immenſitate potiùs impleviſti, quòd naturam denique ipſam vimque ac poteſtatẽ humani animi divino auſu ſupergreſſus es. Aliud nempe maius in eo quod ſequereris, quod peteres, erat: Victor omnium cum te ipſo certabas, te tibi ipſe propoſueras, te tu ipſe intuebaris. Tu tibi ipſe æmulus hoc agebas, vt te ipſum vinceres, vt præteritorum operum decus vno iſto obrueres. Præclarum certamen, cujus quicunque ſucceſſus ſit, parum ad tuam gloriam intereſt, Carole; ad expectationem noſtram aliquantùm. Magna erat & inuſitata, quis neget? illa tua magnificentia, qua quadragena aureorum millia vna die in pauperes profundebas. Sed quanto eſt mirabilius inimicis vitam & ſanguinem, quàm ſupplicibus pecuniam condonare? Defixam audivimus admiratione æquitatis tuæ Romanam Curiam, cùm in propinquorum caſibus acerbiſsimis & cladibus familiæ perferendis Stoicam conſtantiam Chriſtianis moribus commendabas. At maius haud paulo eſt ſuo ipſius fato occurrere intrepidè, quàm alienum ferre moderatè. Penetraſti, ſcimus, Apoſtolico conſilio in Rhætorum invios ſaltus ad gẽtes ſuis rupibus duriores. Verùm quanto eſt facilius ſpem oblatam rei gerendæ ſequi nullo certo periculo, quàm poſt certam denunciationem exitij tamen pergere. Igitur applaudimus: viciſti enim Carole, viciſti tuorum lachrymas, inimico-

rum furores, expectationem hominum, memoriam exemplorum, famæ ambitionem, Philoſophorum ſplendida mendacia, laudes & præconia diſertorum. Macte iſta virtute multò rariſsima tui victor. Florebit in prædicatione ſæculorum tua iſta laus, neque vlla vnquam vetuſtate conſeneſcet. Hic tibi contemptus mortis immortalitatem peperit: hoc te periculum beavit. Dicetur iſta tua virtus incredibilis, donec erit genus humanum: neque hanc tuam admirabilem gloriam admiratione ſolùm & præconiis, ſed aris etiam poſitis ac religione poſteritas proſequetur.

DIXI.

# ORATIO VIII.

## *Rex Agrippa Iudæis bellum Romanũ diſſuadet. Ex Ioſepho l.* II. *de Bello, cap.* XXVIII.

SI vos ego quot quot adeſtis omnes, in vnam de bello Romanis indicendo conſpiraſſe ſententiam crederem, accederem ipſe quoque tantæ authoritati, vel cederem certè tempori: ac ſi quid contra ſentirem non committerem tamen occupatis præiudicio animis: ſed conſilium mihi meum in tacita conſciëntia conderem. Cum enim vnum niti contra omnes temerarij ſit & ſtolidè præfidentis: dicere autem quæ nemo volens audiat, nemo non averſetur, ſtulti hominis & gnaviter impudentis, numquam commiterem vt contentione vna dictionis inutilis duplicem mihi notam conſciſcerem Arrogantis & parum ſanl. Furioſorum & Phanaticorum eſt illa Caſſandræa væſania non credenda canere & ſedulò oggerere quæ nihil niſi ludibrium obſtinatis debeant. quorum vt in preceps ſemel cepit impetum conſenſus, non Deus ipſe revocet ſiſtatve, ſi conetur. Verumtamen alia veſtra cauſa eſt. ſcio quibus loquar. novi penitus ſenſus animorum veſtrorum.

Non eſt omnium iſta ferocia; ne multorum quidem. Novi genus, novi ſectam hominum, quos partim Natura leves, Fortuna inopes, cupiditas inquietos, adoleſcentia rudes fecit & imperitos. Placetne igitur hos tantæ rej autores ſequi? prohibeat quidem Deus cuj noſtra hæc merito creditur cordi eſſe Gens & Civitas, primũ ne ſint inter Nos homines ejuſmodi: tũ profectò ne prævaleant & in republicâ dominentur. Vos quietos, fortunâ conſtitutâ, naturâ leni & modeſtâ, maturâ ætate & multarum rerum memori, vos appello, vos obteſtor, ne florem hujus vrbis, fortunam Iudaici nominis, ſpem noſtræ Gentis vitam rémque veſtrum omnium, ſacra deinde ac templi Religionem omnium ſanctiſsimi vnâ inconſulta temeritate paucorum tot ac tales ferri in perniciem ac præcipitari ſinatis.

Quid enim exiſtimatis? rem forte agi mediocris periculi, facilis remedij cum pœnituerit? ſic ſe res habet, ſicque velim ſtatuatis: Nullam vmquam rem majoris aleæ veſtrum ad judicium & concilium eſſe delatam. Agitur ſiquidem de Romanis laceſſendis quibus nec potentia ad nos delendos vt nos commoverimus deeſſe poteſt totius orbis Dominis: nec cauſa miſerendi vlla adverſus bis victos & contumaces poterit offerri. Quod ſi cui non videtur ita eſſe vt dicimus, audiamus eum ſane, & ſi quid afferet probabilis pro vero accipiamus. Romanos bello petimus: nondum quæro qui, quibus opibus freti, quibus oppidis, quibus copiis? Hoc primum videamus quos homines? Qui ex vnius vrbis fortuna olim modica, ad arcem imperij per bella periculáque omnia perruperunt. Qui oppreſſum imperio terrarum orbem obtinent. Qui quadringenta veteranorum millia ſub ſignis numerant. qui plures vectigales habent Nationes

quam vniverſa Iudæa vicos ac villas, plures belli duces præſtantiſsimos quam hæc vrbs cives. Veniant jam igitur minaces iſti. diſputent hic coram, ſummamque cogitationum ac ſpei ſubducant. Scio Ego quoque bellicoſam vobis eſſe juventutem. ne tumultuemini, æquum me habebitis æſtimatorem potentiæ veſtræ. ſcio, inquam, gentem Iudæorum illuſtrem in paucis, claram virtute bellicâ. populoſam & opulentam haberi. habetis civitatem ornatiſsimam & munitiſsimam hanc Ieroſolymam, multas alias præterea, arceſque ac caſtella non pauca manu ſituque munita. Quid igitur ajo. Quemadmodum terrarum moles vaſtiſsima per ſe ſi cum cœlorum immenſis orbibus comparetur vix puncti inſtar doctiſsimorum hominum judiciis obtinere dicitur. ita noſtram iſtam rempublicam ſi ſolitaria ſpectetur firmam & opulentam videri: ſi cum Romanâ conferatur, evaneſcere molem omnem atque in nihilum extenuari. Quæſo ne vos conſolemini. neque imperitis quorumdam ſermonibus abduci vos ſinatis in exitialem errorem. audio enim aliquos elevare Romanam potentiam. & cum nihil poſſunt aliud hoc dicere: tantum imperiū mole ſuâ laborare. tot provinciis diſperſos minus poſſe in ſingulis; magíſque adeo facilitate victarum gentium & conſuetudine ſerviendi, quam quam vllis opibus idoneis imperium tueri. denique famâ præteritâ potius quam virtute præſenti rem Romanam ſtare. quæ ſi quam leviter in ſoluto ſermone, quam facile in vrbis ac fori otio, quam tutò intra domeſticos parietes ad neceſſariorum aures effutiuntur, tam verè jactarentur: tamen etiam atque etiam videndum eſſet ex qua tranquillitate in quam rerum omnium perturbationem incertæ ſpei ludibrio traheremur. Græcos dicere audio dulce eſſe bellum inexpertis ſolere; addam exper-

tus ego : privatis hominibus quibus res ſit & familia,placere non poſſe bellum niſi furioſis. Atque iſtos novatores queri interdum video ſi quid paululum vltra juris & æqui fines vſurpatum ſit. *Si* magiſtratus,ſi judex offenderit intolerandam rem videri. illud vero ne mihi quidem placet:Sed iſtos ergo moneo:ne, ſi tam minutis offenduntur,in perturbationem rerum omnium confuſionémque jurium ac legum vrbem iſtam ac rempublicam præcipitent. Quis enim neſcit belli tempore non leges aut inſtituta, ſed cupiditates valentiorum dominari. premi civitates etiam ab ijs ipſis à quibus defenduntur. nec tantum ab hoſtibus,ſed à ſuis etiam damna accipere. non illo tempore commeatus liber. non facile commercium. non certa ſpes anni. & vt graviora commemorem, non carorum, non neceſſariorum ſalus, non parentum ſanguis & caput, non pudicitia conjugum & liberorum, non ceremoniarum ſanctitas Religióque ſacrorum à vi, cupiditate, crudelitate, libidine, contumeliâ, ſacrilegio,vel hoſtiū vel ſeditioſorū ſatis tuta ſunt. Quamquam vt caſus omnes quidam propitius amoliretur Deus.tamen in perpetuâ ſimilium malorum formidine curis nos omnes ſollicitari perpetuis oportebit. non noctu non diu ſtare. numquam ſibi fidere. ſemper trepidare anxios. & ad omnem aſpectum rerum veſtrarum conſervandi ſollicitudine amittendi metu cruciari. Profectò maximus vitæ fructus eſt ſecuritas quâ ſublatâ nec valetudo,nec opes,& quæcumque homines vita æſtimanda morte redimenda cenſent,jucunditatis habent nihil. fingite quamlibet magnam facultatem belli tamen vaſtabuntur agri, incendentur vici, fient incurſiones. infeſta erunt itinera. cædes per agros in ſuburbanis in pomœriis fient. accumulate quamlibet multa pacis hu-

jus incommoda quâ fruimur. numquam ad minimam eorum malorum particulam accedent Quæ igitur rogo dementia: Procuratoris aut Legati Romani ſuperbo reſponſo ad belli cogitationem efferari? Et tamen ſi quid imperatum eſt ſuperbius queri licet. allegare licet. Legatos Romam mittere. expoſtulare. Quid ergo malum mediocre tot ſublevatum remediis exitiabili pernicie commutatis. Quid ex offenſione ruitis. reduviam lethali vulnere curatis, & vnguiculi periculum in caput vertitis. Verum commoveamus diſputationem ſine exemplorum appoſitione leviorem. replicate veterem memoriam conſulite annales ſi reperietis vlli vnquam populo Regive ad deſtinatum ſpei exitum ſucceſsiſſe conatum gentis hujus bello laceſſendæ, nihil recuſo quin pernicioſum hoc hodie conſilium pro ſalutari teneatis. Ego nimis vetera non proferam. non Samnites, Latinos, Etruſcos, non Italiæ civitates ac gentes vniverſas ab hac vna ſæpe domitas memorabo. Cartaginem etiam omittam toto hinc mari diſsitam, vnam omnium gentium victricem, ab hac vna ter victam, poſtremo etiam incenſam. Non verſam in rudera Numantiam. Non centies profligatas Hiſpanias. Illáſque ſemper liberas ſervire tandem coactas Germaniam & Galliam. & toto diviſam orbe Britãniam. Quid Græcia hæc quanta olim quam minax fuit? recordamini Thermopylas & Salaminem tum Marathonem & Platæas. & coactum a paucis exulibus amiſsâ claſſe fugere Regem regum Xerxem. proh Deus immortalis qui animi! quæ pectora! qui bellatores! Hi tamen Romanis ſerviunt & magnis ſuis docti cladibus quo. ſpiritum & otium ignavo redimant ſtipendio in lucro ponunt Quod quæſo diligenter ſecum reputent quos inani quadam honeſti ſpecie percellit nomen iam

intempeſtivum libertatis. Quis vmquam majoribus ſtudijs libertatem expetivit populus quam nomen vniverſum Græciæ? quæ majora certamina, graviora pericula, vna illa ſpe Natio tentavit? Quid quæſiverunt acrius Athenę? quid amavit ardentius Lacedæmon? quid Corinthus & vetuſto regno ſubnixa Sicyon, vana nunc nomina ſervientium oppidorum. Et vos libertatem jam cogitabitis quam dudum illi deſperarunt? Quid jam Macedones Græcorum victores, domitores Aſię, Orientis Imperatores, Num illis Alexandri fama? num Achillis Herculiſque cognatio? num ferreum robur corporum? num armorum vſus? num rei bellicæ peritia? num phalangis invictæ deſcriptio? num tot Regum, tot vrbium, tot populorum opes profuerunt ad ignominiam ſaltem & miſeriam ſervitutis humillimæ propulſandam? O ſtultas cogitationes & ſpes inconſultas inquietorum! quod nequivere Macedones hoc vos poteritis? & poſtquā illis ſexcentæ clades extorſerunt confeſsionem deſperationis æternæ vincendi, Noſtri, ſi Deo placet, adoleſcentes Alexandro feliciores ibunt & incenſa Roma victum orbem vlciſcentur? Eſſe enim ſic in fatis. vincendos ab Aſiatico hoſte Romanos. Antiocho credo magno qui primus copijs florentiſsimi regni nondum notam illorum potentiam magno ſuo malo provocavit. Et quota pars Iudæa eſt ditionis Antiochi illius magni? quam multæ provinciæ, quam opulentæ, quam populoſæ in illius tum regno numerabantur? Itane vero quod tanto potentior omnibus viribus ac toto conatu connixus non potuit Antiochus, ſeditioſi pauci perficient? Atqui erant illo adhuc tempore integra omnia. pedem adhuc nemo Romanus in Aſia poſuerat. nullum vt hodie provinciarum ſingularum faucibus cervicibus impo-

ſitum erat hujus Gentis præſidium. Non imperator, non Prætor non Legatus ne miles quidē vllus in Aſia. Nondum confeſſa ſervitutem erat Græcia nondum Ægyptus, nondum Thracia, nondum Inſulę magnas, vt hodie, dabāt aſiatici belli facultates. Et mulctatus tamen imperio Rex potentiſsimus, ſummotis ad montem Taurum regni metis, victorum Romanorum, arbitrio precariò regnavit. huc conatus, huc apparatus tantus recidit. quid jam cogitatis? quæ portenta ſomniatis. Pares ne vos Antiocho: cujus filio non iam adeo potenti olim cum res florebāt veſtræ maximè vix Deo Superiſque omnibus faventibus pares eſſe potuiſtis ad nomē & religionem ab illius importunâ tyrannide vindicandam? Quæ me ipſa triſtiſsimi temporis admonet mentio de divina atque incredibili ſapientia majorum. Qui cum vicini Regis & finitimi potentiam conſtantiſsimè contemnerent, laceſſerentque bello. Romanos toto pene diviſos orbe ſic verebantur ut niſi legationibus exambirent, muneribusque emerent eorum amicitiam, bene conſtitutas res ſuas conſultumque ſibi ſatis non arbitrarentur. Itaque ſi quem inanis elevat fiducia templi ac ſacrorum adiutoriſque Dei, is reputet: majori ne religione præditum quam virum ſanctiſsimum ſummi Pontificatus ſacerdotio illuſtrem, Iudam Maccabæum ſperet aut velit ſe haberi. Et tamen ille vir tantus ac pene divinus numquam tot victoriis, tot ſignis, tot documentis & pignoribus celeſtis auxilij, expedire audaciam ad conatum vllum potuit Romani nominis bello laceſſendi. Cuj qui ſucceſſerunt in adminiſtratione Reip. fratres eius duo, virtutibus omnibus ſimillimi, illam eius ſapientiam ita ſunt imitati, vt legationem vtérque Romam renovādi cauſa fœderis ampliſsimā miſerit. is vero qui omniū eſt prudentiſsimus

dentiſsimus habitus Simon, clypeum aureum mille minarum pondo Romanis dono miſerit ad eorum ſibi animos demerendos. Quod virorum talium tantum ac tam graue præiudicium cum magni ponderis apud vos certè eſſe debeat, non urgebo tamen neque inſtabo vehementius, ac ne recuſabo quidem quominus inſanis iſtis, qui caput veſtrum omnium in perniciem vocant, manus detis, niſi clariſsimè conſtiterit Romanam gentem præut eſt eius hodierna potentia, illo tempore quo invicta Macchabæis viſa eſt, imbecillam adhuc quandam ac parum firmis nixam præſidiis videri potuiſſe. non ſolum quod ab illo tempore additas ſcimus illi imperio Gallias eſſe, Germaniam, Britanniam, Illyricum, Ægyptum, Thraciam & Græciam: ſed præcipue quod per bellum longiſsimum Mithridaticum conculcata ac peragrata victoriis à variis ducibus & exercitibus vniverſa quam latè patet Aſia, ita omnes callidè obſervataseius locorũ opportunitates occuparunt præſidiis, vt commovere ſe nuſquam, aut cogitare aliud quam obſequium & fidem poſſet, ſi quidem ſaperet: quod illi certe non faciunt qui conſtricti atque irretiti vndique, quibus implicantur laqueos adſtringunt eo magis quo ferocius enituntur. Enimverò ſi quid attentari, audacia, vi manuque perfici, profuſione corrumpi, aſtutia inſidiisque ſtrui, virtute, arte, dolo, conſilio, bonis maliſque artibus eripi extorquerive ab hac gente potuiſſet: puto vnum Mortalium fando auditum eſſe Mithridatẽ omniũ digniſſimum cui gentium judiciũ orbiſque favor victoriã de Romanorũ gente deſtinaret; adeo ferrea laboris patientia, impigra mobilitate conſilij vbiquę præsẽtis, attentiſsima diſciplina militiæ, Sumptuoſiſsimo apparatu belli, contumaciſsimo ſemper audendi impetu poſt quamvis cladem, vigilãtiſsima

prudẽtia longiſsima experientia belli regnique. tot dotibus & virtutibus hanc ſuſtinere expectationẽ videbatur, vt quæ deſtinarat olim Annibal poſſet perficere. Atque ille certe incidit in opportuna ſuis votis tempora. non erant tum Romæ compoſiti cẽſura mores. ambitio cuncta miſcuerat. Commiſsi inter ſe Sylla, cum Mario. Opes imperii eius in ruinam verſæ. tanto motu concuſsis incubuit Rex Ponticus cum omni Oriente: junctis etiam cum Sertorio conſiliis & copiis. num vicit tamen? num ſpei metam attigit? num ſuorum dignitatem, num maieſtatem ſuam tutam habuit? num vrbes ſuas ab incendiis agros a populationibus liberavit. An non internecino bello annorum quinque & quadraginta fractus, conſumptis ſuis & ſociorum opibus, victus atque oppreſſus, ſuccubuit denique, eandemque ſecum in ruinam intactum regnum Armeniç provinciaſque ac regiones pene vniverſæ traxit Aſiæ? Quid aliud dicamus quam ſacram eam Gentem eſſe: quicumque eam quacumque ex cauſa violarit huic fortunam ipſam cœlumque & quod gubernat iſta ſupremum Numen peſtem atque exitium denunciare.

Quæ vos quæſo cogitatio reflectat atque colligat. vt otioſe, antequam tantam aleam jacitis rem totam conſideretis. Quæ ſpes, quod periculum quę, facultas, quæ ratio belli hujus ſit? quid Hiſtoriæ memoria, quid experientia ſęculorum, quid judicia prudentum, quid inſanorum exitia ſuadeant? Capiat vos miſericordia vrbis hujus, ſimplicis ætatis, innoxię multitudinis, ſubeat cura ſtatus hujus pręclari, celebritatis ac multitudinis, ædificiorum & cœli ſolique. tantam hanc opportunitatem copiamque rerum cui, malum, peſti atque dedecori condonatum itis? vaſtationes, expilationes, incendia, cædes, ſtupra, ſacrilegia, mala belli reliqua cum

audimus à narrantibus, exhorreſcimus; quamvis in Scytharum ſaltibus atque in extrema barbarie patrata memorentur. Quis iſte furor, malum quærere atque accerſere? quid de nobis tam malè Patria meruit eam vt in tam funeſtam perniciem vrgeamus? integra res eſt adhuc. attendamus, advertamus animos, ſuſtineamus. ſi ſemel ruere cœperimus difficilè in præcipiti conſiſtitur. Videte quæ jam ſunt, providete mox futura: ſera poſt jactam aleam pœnitentia eſt. occupate ſapientia reſipiſcendi neceſsitatem. aliorum exempla veſtra documenta facite. Mithridates & Antiochus & Græcia obverſentur oculis. veſtra ipſi recordamini: triſtia inquam illa. Pompejum victorem & bis captam ab vna gente Ieroſolymam. multæ clam feruntur oraculorum minæ. magnam impendere perniciem Phanatici quidam canunt, monſtra neſcio quæ & portenta memorantur. nugas equidem credo eſſe omnia. & terriculamenta imbecillorũ. Seditioſorũ voces, ſtudia novantiũ, & tumeſcẽtes in improborũ cupiditatibus magni mali cauſæ terrent me, fateor. hæc me prodigia conturbant, hæc commovent. Hæc per ego vos oro atque obteſtor quidquid religione venerabile, conjunctione charum vobis eſt, tollite, removete, extinguite, comprimite. exigua patientia tolerabilis mali cladem exitiabilem redimite. conſulite reipublicæ. conſulite genti. vobis ipſis liberis ac conjugibus, focis atque aris veſtris etiam atque etiam conſulite. Numquam dixiſſe ſatis videor, hærete, vosque ipſos colligite. aut ſi tantus amor bellandi eſt, expectate dum tantas opes collegeritis, vt contra Europam Aſiam atque Africam vno Imperio devinctas Experiri Martis aleam una tantum gens cum ſpe aliqua poſsitis.

DIXI.

# ORATIO IX.

## DE P. IOANNE ARNVLPHO S. I.

*Pronunciata Toloſæ in cœtu Domeſtico PP. Soc* IESV *ab Adoleſcente* Religioſo, *Rhetorices Auditore, in Funere R. P. Ioannis Arnulphi, qui obiit in Collegio Toloſano pridie Id. Maii. An.* CIↃIↃC.XXXVI.

QVAM commoveri vehementer de beam hoc dicendi principio PP. RR. Vel argumenti magnitudine, quod dicturus de Arnulpho ſum, vel tenuitate facultatis, quod cuius Artis vix rudimenta poſui, eius perfectum ſpecimen atque abſolutum flagitor, vel importunitate tēporis, quod Laudationem in funere ſic tamquam muſicam in luctu cogor obtrudere, æſtimaturos vos ſatis arbitror pro æquitate veſtra; Mihi commemorare pluribus otioſum eſſet & tralatitium. Magnus ſane vel magnis illis ac magnificis glorioſæ Græciæ Rhetoribus hic cāpus fuerat, multóque dignior, in quem relicto

Marathonio albas quadrigas feſtis indutas phaleris incitarent. Nunc illa Troia tam lugubris, tam heroica tragœdia puero ludenda committitur. O Cladis acceſsionem miſeram! O ludibrium indignum ſuperbæ fortunæ! Tune Regum Orator, Oratorumque Rex Arnulphe, oratorem deſideras, niſi Tyrone contentus es, quem, vt cætera condones, ne ætas quidem ſatis ab infantiâ remouit. atque ego tamen, PP. in neceſsitate ſubeundi oneris iniquiſsimj vtcumque me tamen initio conſolabar, cum ſic mecum reputarem: pervulgatam eſſe rem nulliúſque non magiſtri pręceptionibus explicatam laudationem funebrem. exempla item extare plurima, certam eſſe iam olim inſtitutam huius loci rationem, partes deſcriptas atque officia, diligentiſsimè cautionibus munita omnia, planus ut iam & expeditus curſus in iſto tam puro, tamque trito æquore etiam non ſtrenuiſsimis futurus ſit. quis enim inter pueros Rhetorum audiuit modò triduò, qui non inculcatas auribus, omnibuſque ſenſibus infixas habeat vulgares illas de laudationum genere ſcholæ cantilenas? quem ego in apparatum deſcriptæ artis ſi Arnulphi Vitam, tamquam in formam aliquam metallum optimum, coniicerem, repente mihi videbatur abſoluta laudatio extitura, quæ elimata ad nitorem aliquem, arce dignanda vel ſolo argumenti merito putaretur: ſed deſtinationem illam cogitationis meæ ſpemque hanc mihi omnem excuſsit funditus huius loci graviſſimíque, conſeſſus veſtri, tum ſenſus atque inſtituti, recordatio. Nam ſi conſueta vterer laudandi formula, conquerer nimirum initio: res in tanta iactura facilis: ſed ab hoc cætu aliena; Cuius hæc mēs & diſciplina eſt: omnia quæcumque accidunt, vel moleſtiſsima atque importuniſsima, non conquerenda tamen, ſed

gratiarum actione, tamquam beneficentiſsimi Domini, ſummi atque æterni Dei adminiſtrata providentia; repenſanda. retexerem deinde vitam omnem, ſic enim iubent, à claritate familiæ, atque à maiorum patriæque nobilitate narrationis caput arceſſerem, magna ſeges in hoc campo, quis negat? ſed alienæ falcis. ego enim cur hæc aut de illo qui dudum abiecit, aut ad vos qui ſemper contemnitis, ego, inquam, qui hanc quoque ſententiam ſequi me profiteor, amoitio ſius prædicarē. Sequerer deinde virtutum Capita, quidque ab Arnulpho ſapienter, quid iuſtè, quid fortiter, quid cum temperantia, cum modeſtia, aliáue quauis laudis parte coniunctum aliquando geſtum eſſet, ex omnibus vbique actæ vitæ veſtigiis, indagatione diligentiſsima excitatum vndique collectúmque producerem: immenſum ſanè ad dicendum æquor, quis enim finis oſtenditur, cuncta Arnulphi benefacta, hoc eſt omnes res eius geſtas, quotquot ſunt, oratione perpetua explicare molienti? Veruntamen iſto quoque modo laudetur miles quiſpiam aut centurio: quid reſeruemus igitur Sacerdoti? Quid Religioſo? quid IESV Socio? quid Arnulpho? cum præſertim non tantum quid patiatur argumentum, aut poſtulet, verum etiam quid expectet, quóue gaudeat auditor, etiam atque etiam conſiderandum oratori ſit. Videtis igitur quantam mihi facultatem hæc res extorqueat, quémque me in gyrum, quámque anguſtum, hoc cogat ſtudiū voluntatis veſtræ demerendæ. Quam ergo regionem eloquendi ſequar? quem perorandi ordinem teneam! vnde initium, vbi finem deſignabo? ſic adeò decreui PP. vos boni, quæſo, conſulite, quod veſtra cauſa comparatum eſt. clara omnia & illuſtria, ac vulgò mira fere omittam, tamquam concionis magis propria quam hu-

ius ſenatus. nam eloquentiam, amicitias, honores, magnorum hominum iudicia, Vrbium plauſus, ſtudia nationum ſi quis celebret, parabilis ſanè ſit & popularis Oratio; hæc ad tractandum ſpinoſior: ſed Ieſuitarum, atque adeo Societatis Iesv procerum aptior cœtui, demonſtrare dicendo quam verus Iesvita Arnulphus fuerit. quam eius inſtituti, corporiſque, atque ordinis ſpiritum penitus hauſerit. quam apprimè deſignatam in Conſtitutionibus Soc. Iesv perfectionem animi, rebus omnibus geſtis repræſentarit. quod auſpicato vt incipiam te compellabo primum Ignati Sanctiſsime huius patrem familiæ atque authorem, eiúſque arcana providentia ex illo Beatorũ domicilio moderatorem. tu cogitationem informa. tu mentem dirige. tu linguam incita. agitur hic illa quoque, quam quæſiuiſti ſemper, maior Dei gloria. quando hoc agimus, vt Deus optimus maximus etiam in hoc, ſicut in cæteris ſanctis ſuis, quemadmodum eſt, ita appareat glorioſus. quod ſi quis hic eſt etiam Arnulphi ipſius honor: decet eum, qui te maximo ac religioſiſsimo (qui haberi in Militanti Eccleſia poteſt) afficiendum cultu curaverit, etiam hanc exiguam laudis vſuram tuo fauore auxilioque mortuum conſequi.

Natvm Arnvlphvm honeſtiſsimo Loco in civitate ornatiſsimâ pulcherrimæ Provinciæ prędicent alij, tum enim mundo natus eſt. ego natalem ejus illum dumtaxat alterum, quo Deo ſanctiorique vitæ ac Religioni eſt Editus, ad rem pertinere arbitror. Erat annos natus tunc fere ſexdecim, generoſâ indole, ſummâ famâ ingenij, ſpe judicióque omnium clariſsimus adoleſcens, & quod caput eſt, ita notæ omnibus innocentiæ, vt probitat s eum ſecuritatẽ ſuæ, non emendationem prętеritæ nequitię, appareret in religione quę-

jus incommoda quâ fruimur. numquam ad minimam eorum malorum particulam accedent Quæ igitur rogo dementia: Procuratoris aut Legati Romani ſuperbo reſponſo ad belli cogitationem efferari? Et tamen ſi quid imperatum eſt ſuperbius queri licet. allegare licet. Legatos Romam mittere. expoſtulare. Quid ergo malum mediocre tot ſublevatum remediis exitiabili pernicie commutatis. Quid ex offenſione ruitis. reduviam lethali vulnere curatis, & vnguiculi periculum in caput vertitis. Verum commoveamus diſputationem ſine exemplorum appoſitione leviorem. replicate veterem memoriam conſulite annales ſi reperietis vlli vnquam populo Regive ad deſtinatum ſpei exitum ſucceſsiſſe conatum gentis hujus bello laceſſendæ, nihil recuſo quin perniciosſum hoc hodie conſilium pro ſalutari teneatis. Ego nimis vetera non proferam. non Samnites, Latinos, Etruſcos, non Italiæ civitates ac gentes vniverſas ab hac vna ſæpe domitas memorabo. Cartaginem etiam omittam toto hinc mari diſsitam, vnam omnium gentium victricem, ab hac vna ter victam, poſtremo etiam incenſam. Non verſam in rudera Numantiam. Non centies profligatas Hiſpanias, Illáſque ſemper liberas ſervire tandem coactas Germaniam & Galliam. & toto diviſam orbe Britāniam. Quid Græcia hæc quanta olim quam minax fuit? recordamini Thermopylas & Salaminem tum Marathonem & Platæas. & coactum a paucis exulibus amiſsâ claſſe fugere Regem regum Xerxem. proh Deus immortalis qui animi! quæ pectora! qui bellatores! Hi tamen Romanis ſerviunt & magnis ſuis docti cladibus quod ſpiritum & otium ignavo redimant ſtipendio in lucro ponunt Quod quæſo diligenter ſecum reputent quos inani quadam honeſti ſpecie percellit nomen iam

intempeſtivum libertatis. Quis vmquam majoribus ſtudijs libertatem expetivit populus quam nomen vniverſum Græciæ? quæ majora certamina, graviora pericula, vna illa ſpe Natio tentavit? Quid quæſiverunt acrius Athenę? quid amavit ardentius Lacedæmon? quid Corinthus & vetuſto regno ſubnixa Sicyon, vana nunc nomina ſervientium oppidorum. Et vos libertatem jam cogitabitis quam dudum illi deſperarunt? Quid jam Macedones Græcorum victores, domitores Aſię, Orientis Imperatores, Num illis Alexandri fama? num Achillis Herculiſque cognatio? num ferreum robur corporum? num armorum vſus? num rei bellicæ peritia? num phalangis invictæ deſcriptio? num tot Regum, tot vrbium, tot populorum opes profuerunt ad ignominiam ſaltem & miſeriam ſervitutis humillimæ propulſandam? O ſtultas cogitationes & ſpes inconſultas inquietorum! quod nequivere Macedones hoc vos poteritis? & poſtquā illis ſexcentæ clades extorſerunt confeſsionem deſperationis æternæ vincendi, Noſtri, ſi Deo placet, adoleſcentes Alexandro feliciores ibunt & incenſa Roma victum orbem vlciſcentur? Eſſe enim ſic in fatis, vincendos ab Aſiatico hoſte Romanos. Antiocho credo magno qui primus copijs florentiſsimi regni nondum notam illorum potentiam magno ſuo malo provocavit. Et quota pars Iudæa eſt ditionis Antiochi illius magni? quam multæ provinciæ, quam opulentæ, quam populoſæ in illius tum regno numerabantur? Itane vero quod tanto potentior omnibus viribus ac toto conatu connixus non potuit Antiochus, ſeditioſi pauci perficient? Atqui erant illo adhuc tempore integra omnia. pedem adhuc nemo Romanus in Aſia poſuerat. nullum vt hodie provinciarum ſingularum faucibus cervicibus impo-

ſitum erat hujus Gentis præſidium. Non imperator, non Prætor non Legatus ne miles quidē vllus in Aſia. Nondum confeſſa ſervitutem erat Græcia nondum Ægyptus, nondum Thracia, nondum Inſulę magnæ, vt hodie, dabāt aſiatici belli facultates. Et mulctatus tamen imperio Rex potentiſſimus, ſummotis ad montem Taurum regni metis, victorum Romanorum, arbitrio precariò regnavit. huc conatus, huc apparatus tantus recidit. quid jam cogitatis? quæ portenta ſomniatis. Pares ne vos Antiocho: cujus filio non iam adeo potenti olim cum res florebāt veſtræ maximè vix Deo Superiſque omnibus faventibus pares eſſe potuiſtis ad nomē & religionem ab illius importunâ tyrannide vindicandam? Quæ me ipſa triſtiſſimi temporis admonet mentio de divina atque incredibili ſapientia majorum. Qui cum vicini Regis & finitimi potentiam conſtantiſſimè contemnerent, laceſſerentque bello. Romanos toto pene diviſos orbe ſic verebantur ut niſi legationibus exambirent, muneribusque emerent eorum amicitiam, bene conſtitutas res ſuas conſultumque ſibi ſatis non arbitrarentur. Itaque ſi quem inanis elevat fiducia templi ac ſacrorum adiutoriſque Dei, is reputet: majori ne religione præditum quam verum ſanctiſſimum ſummi Pontificatus ſacerdotio illuſtrem, Iudam Maccabæum ſperet aut velit ſe haberi. Et tamen ille vir tantus ac pene divinus numquam tot victoriis, tot ſignis. tot documentis & pignoribus celeſtis auxilij, expedire audaciam ad conatum vllum potuit Romani nominis bello laceſſendi. Cuj qui ſucceſſerunt in adminiſtratione Reip. fratres eius duo, virtutibus omnibus ſimillimi, illam eius ſapientiam ita ſunt imitati, vt legationem vterque Romam renovādi cauſa fœderis ampliſſimā miſerit. is vero qui omniū eſt prudentiſſimus

dentiſsimus habitus Simon, clypeum aureum mille minarum pondo Romanis dono miſerit ad eorum ſibi animos demerendos. Quod virorum talium tantum ac tam graue præiudicium cum magni ponderis apud vos certè eſſe debeat, non urgebo tamen neque inſtabo vehementius, ac ne recuſabo quidem quominus inſanis iſtis, qui caput veſtrum omnium in perniciem vocant, manus detis, niſi clariſsimè conſtiterit Romanam gentem præut eſt eius hodierna potentia, illo tempore quo invicta Macchabæis viſa eſt, imbecillam adhuc quandam ac parum firmis nixam præſidiis videri potuiſſe. non ſolum quod ab illo tempore additas ſcimus illi imperio Gallias eſſe, Germaniam, Britanniam, Illyricum, Ægyptum, Thraciam & Græciam: ſed præcipue quod per bellum longiſsimum Mithridaticum conculcata ac peragrata victoriis à variis ducibus & exercitibus vniverſa quam latè patet Aſia, ita omnes callidè obſervataseius locorũ opportunitates occuparunt præſidiis, vt commovere ſe nuſquam, aut cogitare aliud quam obſequium & fidem poſſet, ſi quidem ſaperet: quod illi certe non faciunt qui conſtricti atque irretiti vndique, quibus implicantur laqueos adſtringunt eo magis quo ferocius enituntur. Enimverò ſi quid attentari, audacia, vi manuque perfici, profuſione corrumpi, aſtutia inſidiisque ſtrui, virtute, arte, dolo, conſilio, bonis maliſque artibus eripi extorquerive ab hac gente potuiſſet: puto vnum Mortalium fando auditum eſſe Mithridatẽ omniũ digniſſimum cui gentium judiciũ orbiſque favor victoriā de Romanorũ gente deſtinaret; adeo ferrea laboris patientia, impigra mobilitate conſilij vbique præſẽtis, attentiſsima diſciplina militiæ, Sumptuoſiſsimo apparatu belli, contumaciſsimo ſemper audendi impetu poſt quamvis cladem, vigilãtiſsima

prudētia longiſsima experientia belli regnique. tot dotibus & virtutibus hanc ſuſtinere expectationē videbatur, vt quæ deſtinarat olim Annibal poſſet perficere, Atque ille certe incidit in opportuna ſuis votis tempora. non erant tum Romæ compoſiti cēſura mores. ambitio cuncta miſcuerat. Commiſsi inter ſe Sylla, cum Mario. Opes imperii eius in ruinam verſæ. tanto motu concuſsis incubuit Rex Ponticus cum omni Oriente: junctis etiam cum Sertorio conſiliis & copiis. num vicit tamen? num ſpei metam attigit? num ſuorum dignitatem, num maieſtatem ſuam tutam habuit? num vrbes ſuas ab incendiis agros a populationibus liberavit. An non internecino bello annorum quinque & quadraginta fractus, conſumptis ſuis & ſociorum opibus, victus atque oppreſſus, ſuccubuit denique, eandemque ſecum in ruinam intactum regnum Armeniæ provinciaſque ac regiones pene vniverſæ traxit Aſiæ? Quid aliud dicamus quam ſacram eam Gentem eſſe: quicumque eam quacumque ex cauſa violarit huic fortunam ipſam cœlumque & quod gubernat iſta ſupremum Numen peſtem atque exitium denunciare.

Quæ vos quæſo cogitatio reflectat atque colligat. vt otioſe, antequam tantam aleam jacitis rem totam conſideretis. Quæ ſpes, quod periculum quę, facultas, quæ ratio belli hujus ſit? quid Hiſtoriæ memoria, quid experientia ſęculorum, quid judicia prudentum, quid inſanorum exitia ſuadeant? Capiat vos miſericordia vrbis hujus, ſimplicis ætatis, innoxię multitudinis, ſubeat cura ſtatus hujus pręclari, celebritatis ac multitudinis, ædificiorum & cœli ſolique. tantam hanc opportunitatem copiamque rerum cui, malum, peſti atque dedecori condonatum itis? vaſtationes, expilationes, incendia, cædes, ſtupra, ſacrilegia, mala belli reliqua cum

audimus à narrantibus, exhorreſcimus; quamvis in Scytharum ſaltibus atque in extrema barbarie patrata memorentur. Quis iſte furor, malum quærere atque accerſere? quid de nobis tam malè Patria meruit eam vt in tam funeſtam perniciem vrgeamus? integra res eſt adhuc. attendamus, advertamus animos, ſuſtineamus. ſi ſemel ruere cœperimus difficilè in præcipiti conſiſtitur. Videte quæ jam ſunt, providete mox futura: ſera poſt jactam aleam pœnitentia eſt. occupate ſapientia reſipiſcendi neceſsitatem. aliorum exempla veſtra documenta facite. Mithridates & Antiochus & Græcia obverſentur oculis. veſtra ipſi recordamini: triſtia inquam illa. Pompejum victorem & bis captam ab vna gente Ieroſolymam, multæ clam feruntur oraculorum minæ. magnam impendere perniciem Phanatici quidam canunt, monſtra neſcio quæ & portenta memorantur. nugas equidem credo eſſe omnia. & terriculamenta imbecillorũ. Seditioſorũ voces, ſtudia novantiũ, & tumeſcẽtes in improborũ cupiditatibus magni mali cauſæ terrent me, fateor. hæc me prodigia conturbant, hæc commovent. Hæc per ego vos oro atque obteſtor quidquid religione venerabile, conjunctione charum vobis eſt, tollite, removete, extinguite, comprimite. exigua patientia tolerabilis mali cladem exitiabilem redimite. conſulite reipublicæ. conſulite genti. vobis ipſis liberis ac conjugibus, focis atque aris veſtris etiam atque etiam conſulite. Numquam dixiſſe ſatis videor, hærete, vosque ipſos colligite. aut ſi tantus amor bellandi eſt, expectate dum tantas opes collegeritis, vt contra Europam Aſiam atque Africam vno Imperio devinctas Experiri Martis aleam una tantum gens cum ſpe aliqua poſsitis.

DIXI.

# ORATIO IX.

## DE P. IOANNE ARNVLPHO S. I.

*Pronunciata Toloſæ in cœtu Domeſtico PP. Soc* IESV *ab Adoleſcente* Religioſo, R*hetorices Auditore, in Funere R. P. Ioannis Arnulphi, qui obiit in Collegio Toloſano pridie Id.* Maii. *An.* CIↃIↃC.XXXVI.

QVAM commoveri vehementer debeam hoc dicendi principio PP. RR. Vel argumenti magnitudine, quod dicturus de Arnulpho ſum, vel tenuitate facultatis, quod cuius Artis vix rudimenta poſui, eius perfectum ſpecimen atque abſolutum flagitor, vel importunitate tẽporis, quod Laudationem in funere ſic tamquam muſicam in luctu cogor obtrudere, æſtimaturos vos ſatis arbitror pro æquitate veſtra; Mihi commemorare pluribus otioſum eſſet & tralatitium. Magnus ſane vel magnis illis ac magnificis glorioſæ Græciæ Rhetoribus hic cãpus fuerat, multóque dignior, in quem relicto

Marathonio albas quadrigas feſtis indutas phaleris incitarent. Nunc illa Troia tam lugubris, tam heroica tragœdia puero ludenda committitur. O Cladis acceſsionem miſeram! O ludibrium indignum ſuperbæ fortunæ! Tune Regum Orator, Oratorumque Rex Arnulphe, oratorem deſideras, niſi Tyrone contentus es, quem, vt cætera condones, ne ætas quidem ſatis ab infantiâ remouit. atque ego tamen, PP. in neceſsitate ſubeundi oneris iniquiſsimj vtcumque me tamen initio conſolabar, cum ſic mecum reputarem: pervulgatam eſſe rem nulliúſque non magiſtri præceptionibus explicatam laudationem funebrem. exempla item extare plurima, certam eſſe iam olim inſtitutam huius loci rationem, partes deſcriptas atque officia, diligentiſsimè cautionibus munita omnia, planus ut iam & expeditus curſus in iſto tam puro, tamque trito æquore etiam non ſtrenuiſsimis futurus ſit. quis enim inter pueros Rhetorum audiuit modò triduò, qui non inculcatas auribus, omnibuſque ſenſibus infixas habeat vulgares illas de laudationum genere ſcholæ cantilenas? quem ego in apparatum deſcriptæ artis ſi Arnulphi Vitam, tamquam in formam aliquam metallum optimum, coniicerem, repente mihi videbatur abſoluta laudatio extitura, quæ elimata ad nitorem aliquem, arce dignanda vel ſolo argumenti merito putaretur: ſed deſtinationem illam cogitationis meæ ſpemque hanc mihi omnem excuſsit funditus huius loci graviſſimíque, conſeſſus veſtri, tum ſenſus atque inſtituti, recordatio. Nam ſi conſueta vterer laudandi formula, conquerer nimirum initio: res in tanta iactura facilis: ſed ab hoc cætu aliena; Cuius hæc mẽs & diſciplina eſt: omnia quæcumque accidunt, vel moleſtiſsima atque importuniſsima, non conquerenda tamen, ſed

rus ſenatus. nam eloquentiam, amicitias, honores, magnorum hominum iudicia, Vrbium plauſus, ſtudia nationum ſi quis celebret, parabilis ſanê ſit & popularis Oratio; hæc ad tractandum ſpinoſior: ſed Ieſuitarum, atque adeo Societatis Iesv procerum aptior cœtui, demonſtrare dicendo quam verus Iesvita Arnulphus fuerit. quam eius inſtituti, corporiſque, atque ordinis ſpiritum penitus hauſerit. quam apprimè deſignatam in Conſtitutionibus Soc. Iesv perfectionem animi, rebus omnibus geſtis repræſentarit. quod auſpicato vt incipiam te compellabo primum Ignati Sanctiſsime huius patrem familiæ atque authorem, eiúſque arcana providentia ex illo Beatorũ domicilio moderatorem. tu cogitationem informa. tu mentem dirige. tu linguam incita. agitur hic illa quoque, quam quæſiuiſti ſemper, maior Dei gloria. quando hoc agimus, vt Deus optimus maximus etiam in hoc, ſicut in cæteris ſanctis ſuis, quemadmodum eſt, ita appareat glorioſus. quod ſi quis hic eſt etiam Arnulphi ipſius honor: decet eum, qui te maximo ac religioſiſsimo (qui haberi in Militanti Eccleſia poteſt) afficiendum cultu curaverit, etiam hanc exiguam laudis vſuram tuo fauore auxilioque mortuum conſequi.

Natvm Arnvlphvm honeſtiſsimo Loco in civitate ornatiſsimâ pulcherrimæ Provinciæ prędicent alii, tum enim mundo natus eſt. ego natalem ejus illum dumtaxat alterum, quo Deo ſanctiorique vitæ ac Religioni eſt Editus, ad rem pertinere arbitror. Erat annos natus tunc fere ſexdecim, generoſâ indole, ſummâ famâ ingenij, ſpe judicióque omnium clariſsimus adoleſcens, & quod caput eſt, ita notæ omnibus innocentiæ, vt probitat s eum ſecuritatẽ ſuæ, non emendationem pręteritæ nequitię, appareret in religione quę-

rere, ſanciendaque illi vita prior ac continuanda fuerit; non retexenda mutandáve. Mitto dicere quos mundi laqueos perfregerit, quas ſuarum lacrymas, quas obſecrationes retentantium, quot cōſuetudine corroboratas amicitias, quot neceſsitudines conſanguinitate verendas, benevolentia blandas abruperit, vt repentè, quo Deus vocabat; evolaret. Ne illud quidem pluribus, vt ſe ad omnia demiſerit, vt altè animo imbiberit elementa ſanctioris diſciplinæ: vt ſe ad regularum formam ſeriò finxerit. vt magna incommoda laborioſi tyrocinij quæ illa ferebant tempora, rebus noſtræ ſocitatis nondum ſatis conſtitutis, alacriter exhauſerit: vt præter vſitata, quæ noſtis, etiam ad ouium cuſtodiam, magnis Davidum & Carlomanorum exemplis iuſſus deſcenderit. His datis & acceptis documentis ſui; vota ritè nuncupat ac ſtudiis adhibetur, in quibus verſatus eſt bifariam, nam & tempus idoneum in diſcendo, audiendóque poſuit. tum deinde multò longius in docendo, quo de vniverſo genere ſpectandum eſt, qua is inductione animi, quo propoſiti conſilio laborem hunc tam varium exhantlaverit. Cum enim iam à primo limine Tyrocinij procul illum eſſet intuitus longè refulgentem Societatis vniverſæ finem ac ſcopum, Dei nimirum gloriam, cum noſtra aliorúmque ſalute coniūgendam: ſic eo aſpectu totus converſus eſt, nullum vt tota deinde vita ſpiritum duxerit ab huius perſeverantia Cogitationis alienum. cuius rei omnis cum magnam facultatem ac momentum in ſtudiis eſſe literarum cerneret, angelicum illud ſuum; capacitate cœlo ipſi, celeritate fulguri ſimillimum ingenium. vaſtum in illud æquor doctrinarum, penè omnium effuſis velut habenis incitavit. quam enim ille, quod eſt in recenti omnium poſitum memoria, quam, doctri-

næ partem non ita calluit, vt ſi nullam noſſet aliam? cum aciei perſpicaciſsimæ mentis nullam ſcientiam ſublimitas obſcuritáſque ſua, nullam artem modo liberalem, humilitas abſtraxerit. Incipite adeò à grammatica quam profeſſus eſt: Addite Poeticam cuius in ſylvis cum regnaſſet adoleſcens, potuerat tota vita tenere principatum, niſi ab iſta amænitate certo iudicio ſtatuiſſet, ætatis maturæ gravitatem abſtinēdam. Quid Rhetoricam, cuius doctor biennio, ſemper idea atque exemplum abſolutum extitit? quid rurſus Philoſophiam: cuius caliginem omnem illam ac tenebras cæleſti fulgore mentis clariſsimæ ita colluſtravit, nullus vt anfractus, nullæ ambages, nulla contorta complicatio ſubtilitatis vel tenuiſsimæ, nullus denique Democriti puteus ita illi verum abſconderit, aut ad tempus occultarit, vt non vbique, quoties liberet, non ſolum in propatulo problematum, & diſputationum iam vulgarium, & exotericarum, ſed in penitiſsimis acroamaticorum myſteriorum adytis, explicatione copioſiſsima, & quod mirum eſt, etiam ad vulgi captum facili, verſaretur: quamquam in ea parte philoſophiæ quam moralem vocant, ita ſcitis omnes eum peculiari cura habitaſſe, atque ita eam perpetua attenti animi præſentia velut numeratam habuiſſe, vt hoc dicere non dubitem, multum in hoc genere magnos illos, qui totam in hac parte contriverunt vitam, Crātoras & Panætios, aut vt illuſtriora proferam nomina Socrates, & Epictetos diſcere ab eo potuiſſe. ita diſcrimen expentendarum & fugiendarum rerum, vim honeſti, ius, fáſque, rationem deniq; omnis ſubductam officij exactiſsima accuratiſsimæ diligentiæ cura ſepſerat, vt cum eſſet in omnibus perfectus artibus, tamen ejus potiſsimum ſcientiæ conſultus haberetur. Vbi quoniam ad

prudentiæ mentionem, me res ipſa vocat, hoc modò dicam: ita eum memoria præterita tenuiſſe, vt impetum velut fruſtraretur retro ruentis temporis, ita circumſpexiſſe omnia præſentia, nullus vt circumſtantium rerum numerus vel vnam aſpectui ſubtraheret: ita futura providiſſe, vt nihil ei nouum admodum contingeret aut inopinatum. Quam ad rem ex omni varietate rerum, conſuetudine vitæ, ſenſu hominum, vſu nationum, ad Civilem vſum diſpenſationémque communis vitæ, delibatam cognitionem quandam habebat in promtu, qua ſemper inſtructus nullam ad tractationem, vel ſubiti negotij nouus accederet vel imparatus. ſed me dudum ad ſe rapit illa princeps artium, regina doctrinarum, lux mentium, Theologia, quæ in cæca nocte peregrinantibus ſubluſtri naturæ ductu mortalibus, lunæ inſtar clariſsimæ, à revelatione divinæ fidei tamquam à ſole quodam hauſtos temperatóſque radios impertit. Hic vero quid, O Arnulphe, poſsim aut dignitate rei aut tuo merito, non multis partibus inferius, aut cognitione experientiáque omnium, non multò minus dicere? Nimirum hanc factitabas artem, hanc ſcientiam profitebaris, cetera, quæ dixi, putabas aliena. Pace veſtra dixerim PP. SS. qui hujus facultatis ſplendidiſsimum lumen, ex divino hauſtum igne, vel protuliſtis primi, vel propagaſtis. Tu Ioannes Sanctiſsime, cognomento Theologe, Túque Gregori Nazianzene, qui tanto intervallo ſæculorum, primus à Ioanne Apoſtolo viſus es eam doctrinæ vim cœleſtis repræſentaſſe, quæ tanto illo nomine digna videretur. Veſtra, inquam, hoc pace bonáque venia dictum Velim, dignum hunc quoque videri qui ad participationem tam glorioſæ appellationis aſpiret. Nam ſi vim ſpectamus nominis, Quis Arnulpho veriùs Theolo-

gus ? qui tam ſæpe, tam benè, tam multis audienitibus de Deo eſt loquutus. Sin eſt aliqua hujus re vis in Sanctorum Patrum ſcriptis ! Quis legit illa diligentius? Quis penetravit altius ? Quis memoria & iudicio felicius comprehendit ? Iam idem in Theologorum ſcriptis verſatus accurratiſsimè, propriis etiam commentariis genus illud ornaverat, Quos ſuis auditoribus in publica Theologiæ Schola dictavit. Neque vlli fuit dubium quin ſi cogitationes vniverſas, ad eam rem appelleret, inter maximos eius facultatis auctores, facturus ſibi locum fuerit. Sed noluit ingenium ad maiora quædam natum in illo pulvere caneſcere, Chriſtus-Iesvs, cuius cum in omni gubernando mundo, ac ſancta præſertim Eccleſia, tum in hac exigua ſocietate regenda, divina providentia vigilat. Profert ecce lucernam è modio, cum maturum eſt viſum : in lucem civitatum, in concurſum concionum Arnulphum producit. Admiratio primum hominum. nouum genus Eloquentiæ ; & illud ex tanto intervallo recantatum : numquam ſic homo. fœnum alios eſſe oportere: Fama deinde celebris, & latè clara. tum ex ea expectatio ſemper inferior re præſenti. Proh Deus bone! quod verborũ flumen ? quæ ſententiarum gravitas ! quæ rerum varietas ! quæ docentis copia ! quæ obiurgantis ſeveritas. Quæ auctoritas adhortantis ! Quis vmquam ſic numeratas habuit domus ſuæ rationes, vt ille vniverſam Dei œconomiam; Quis ita ſuum ſomnium, vt doctrinam ille morum omnem ; Quis denique libellum vnum breviſsimum melius, quam ſcripturam ille divinam, quanta eſt, vniverſam, non memoria ſolum, ſed iudicio etiam & interpretandi facilitate mira comprehenſam tenuit ; quis de rebus abſtruſiſsimis, ut ille, perſpicuè ; De ſpinoſis, planè ; de ſublimibus, familiariter ; de my-

ſteriis, populariter; de occultis & mirabilibus fiducia diſputavit teſtis oculati; iam quas habenas dicendi; quod imperium orationis: vt in ſummo æſtu redundantis copiæ, tenebat tamen ſe verbáque numerabat; quis hoc vnquam dixit; hæc illi vox imprudenti excidit. adeo præſens ſemper animus libram in manu habuit, & plenum tenuit arbitrium, neque perturbationi frænos, etiam bonę & ad rectum incitanti permiſit. O miram ſocietatem; delectus cum copia! prolixitatis cum delectatione! varietatis cum certo ordine, doctrinæ cum pietate, vtilitatis denique cum voluptate! O exemplum vocis Apoſtolicæ! O Ioannes alter! O Pauli echo! O Galliæ Chryſoſtome. Téne, quod neſcio quis formidabat Polemon, Græculus præ te infans, ſol hodie tacentem videt Arnulphe; Nunc ſcio magna omnia ruere, clara occidire, pulchra emori, quando tua Cœleſtis illa vox morti & ſilentio debuit aliquid. O acerbum caſum! mœreant pulpita, lugeant conciones, parietes te ipſi & templorum tholi mutæque ipſæ valvæ ac ſubſellia deſiderabunt? quis iam languentes excitabit? quis deterrebit cupidos? quis reflectet in ſcelus ruentes; quis audaces comprimet? quis conſolationē mœſtis, ſpem deſperātibus, ſtimulos tardis, miſericordiam crudelibus, pœnitentiam peccantibus admouebit? Heu lingua divini ſpiritus Interpres! Fons oraculorum! victrix perfidiæ! Expugnatrix contumaciæ! virtutum artifex atque auctor omnium! nos miſeros! Itane viſum Superi? vt poſt modicam tanti boni vſuram æterno eius deſiderio cruciemur? Sed iam extulit me longius meus dolor & de regione dimovit inſtitutæ viæ. quid deinde quid facis Arnulphe? Orbem tu quidem expleſti laudatarum artium: nihil eſt diſcendum ſuper. quæ ſtudio ac diligentia conſequi homo poſsit, corraſa congeſtaque omnia. macte

rara fœlicitate ſpei compos propè pluſquam humanæ. diſciplinas omnes familiares habes: in Philophia familiam ducis, in Theologia regnas. quid ſperas vltra? quid ſequeris? nec dum ceſsas à ſtudio ſciens omnium? iam neceſsario otiaberis, cum quid agas deſit. quid igitur reſtat. acquieſces in vmbra palmarum tuarum, & tuo vnius fructu contentus tantis doctrinæ theſauris incubabis otio ſũs? minime Inquit: non eam ſectam ſequor: non hæc ratio: non inductio mihi animi; non ſic me docuit Ignatius: non is ſpiritus Societatis. nunc demum comparatis armis Pugnandi tempus eſt. ceſſem ego tuus miles, Iesv nullam in vita quietis partem admittentis? Prodit in aciem hoc animo, laborat in Chriſti vinea, extendit manus ſuas tota die ad populum incredulum, & vt de viro apoſtolico apoſtolicè non propheticè dicam, arguit, obſecrat, increpat, in omni patientia & doctrina, neque deeſt tali operario digna meſsis, Vrbem in regiam atque aulam accerſitur. neque mirum ſi tanta virtus, Ludovice Gallorum Rex maxime, in familiam tranſcripta tuam eſt. dudum tu omnes ad te attrahis: magnum coagulum amicitiæ ſimilitudo ſtudiorum: & eſt ſummarum laudum mira etiam in diverſo genere conſenſio. quid ſimile Chironi cum Achille? ſic illius Pellæi ipſa indoles Stagiritem illum alterum ſequebatur. Gratias fortunæ, quæ hoc tam bene conſuluit? nam interdum benè agit imprudens. ſed fallor. Genius tuus Ludovice Rex, ille Victor, ille fœlix, iſtud quoque ſicut multa cætera meritus de te bene eſt. Verumtamen quid Arnulphus in aulâ Regiâ? honore, amicitiis, famâ, florens & fauore Principis: Rerum potens omnium. audite Miraculum Patres, moderationis, ſapientiæ, perfectionis religioſæ exem-

plar, illic admirationi oſtentat omnium ſuis prorſus numeris abſolutum. vetus hoc video ſapientum monitum regiarum vrbium non eſſe ſaluberrimum virtuti cælum: neque hoc ſanctis duntaxat viſum: ne Solon quidem in comitatu Crœſi Regis niſi peregrinus eſſe voluit. uni hoc inter homines Ioanni datum illi dilaudato poſt triginta annorum in deſerto moram paucis apud Regem ynum diebus, ſine innocentiæ ſuæ fraude diverſari. Laudo te Arſeni ex principali domo in ſolitudinem fugientem: non enim eſt hoc omnibus divinum robur animi vt cupiditates in licentia contineant: vt omnium ipſos admirantium neglectis præiudiciis ſe vni contemnant: vt in rerum omnium affluente copia paupertatem teneant, ac ſe tam robuſta muniant temperantiæ conſtantiâ vt graſſante vndique blandiſsimè flammâ periculorum ne odore quidem ignis afletur caſtitas, ac ne fumi quidem vapore vllo decoloretur. Túne igitur tanta altitudine Cæleſtis animi ſubnixus Arphe Es, vt tantum illud culmen tanto maiorj quadam ex mentis arce Conſiliique ac ſapientiæ deſpicias? Iam quæſo ne iactetis demiſsionem in ſordibus priuatæ vitæ prope neceſsariam: hócque illi adeò aulas quoque & Reges experto Bernardo credite; magna, inquit, demum & rara virtus eſt humilitas honorata. ſenſus hic ſocietatis, hæc inſtituti noſtri ratio, hic ſpiritus Ignatij eodem vultu à familiaritate Summorum pontificum ad mendiculorum colloquia deſcendentis. talem te Xaueri mirabatur Luſitania recentes manus à complexu Regum, Ptochotrophii ſordibus & ſpirantibus egenorum languentium cadaveribus, imo vlceribus, admoventem. Idem in Arnulphum animus, non traiectione Pythagorica, ſed imitatione Religioſa tranſlatus eſt. cuius vnquam ille

ſermonem propter vilitatem veſtis aſpernatus eſt? Quis ita de fæce populi non iiſdem auribus quibus ipſe Rex arcana quoties libuit conſcientiæ vulnera commendavit? Iam integritatem rei tam fragilis bonæ famæ quantam eſſe illi oportuit? quæ nec mentiendi audaciam petulantiæ relinqueret quamvis impudenti? adeo vt in ſatyrico carmine. neſcio quo illorum temporum, aulicorum iocis inter ἀδύνατα velut proverbialiter celebratum ſit, leuitatis in hoc genere ſuſpicionem cogitari aliquam in Arnulpho? nimirum ab Ignatio didicerat nitorem huius laudis Angelicum ei qui ſe Societatis Ieſu ciuem meminiſſet eſſe, in humano corpore repreſentandum. quid illud dicam cuius in noſtris legibus tam grauis Sanctio? de Conſanguineorũ amore tẽperando: quanto hoc omniũ miraculo in tanta benè merendi facilitate tenuit. ita illi Chriſti conſilium, Ignatii exemplum, inſtar præcepti fuit, At ego, vt demirentur omnes, non mirabor tamen: quid enim ſi neglexit ditare ſuos, cum oblata ipſe opulenta ſacerdotia, & quod ſciunt omnes, Romanæ abollæ Purpuram, Religioſæ ſimplicitatis amore recuſarit. Iamne vel in hoc agnoſcitis Ignatij alumnum? Layneſiorum & Borgiarum geminum? Societatis Ieſu Profeſſum? habemus adhuc quid cum poſſet non fecerit, quid cum liceret temperaverit, quid in Plenâ poteſtate voluntati denegarit, quibus ſe ipſe rebus quámque vulgo expetitis virtutis causâ defraudaverit, qua de re ſic iam commemorare deſinamus, vt illud recordemur interim, magnum eſſe cumulum ad laudem abſtinentiæ re illâ circumfluere quam tibi negas, & in flumine circum redundante vndique, inſtar cuiuſdam Tantali, vnius laudis intuitu temperantiæ, ſitis irritatæ copiâ tolerantiam obſtinare. Veruntamen Ex iſtis aliquando velut

vmbris oculos ad eminentias convertamus: non enim ita ſe ſuſtinuit, vt ceſſaret prorſus ſed ad magnarum rerum expediendas facultates ac conatus erumpendos hac continentia collegit impetum. Eſt aliquid non abuti potentia? At quanto gloriosius vti præclarè? Quænam igitur Arnulphi mens, Quæ ratio conſilij, Quis ſcopus fuit In Christianiſsimi Regis comitatu? nempe ſplendor Eccleſiæ, Impietatis extinctio, Galliæ quies. quid præterea? Societatis noſtræ conſtitutio, Innocentiæ defenſio, maledictorum confutatio. hoc eſt, vt vno verbo multa colligam, maior Dei gloria. Miſera eras Gallia, quomodocúmque te conſolareris, dum ſtabat hæreſis, monſtrum horribile, opibus ad audaciam, impunitate ad contumaciam, corroboratum. Gallos iam olim Hercules, Reges ordine quatuor illa hydra fatigabat, fæcundis ſemper vulneribus ex clade fortior, Hærebat viſceribus infælicis Reipublicæ pertinax malum, cuius erat in tua vnius haſta, Ludovice Regum maxime, fatale remedium. Quis enim hoc quidem non dicam tam improbus, ſed tam inſanus, neget: nefariam te rempublicam coniuratorum Calvini gregalium, ex ruinis imperij & religionis avitæ, non tantum à metu pœnę circum vndique vallatam, & opinione ſua abunde tutam, ſed ad ſpem vſque inſolentiſsimam nefariæ Victoriæ, Proh dedecus! confirmatam, virtute, providentia, armis oppreſsiſſe. Verum vt multorum in re tantæ molis vtendum fuit operâ, hoc ne tu ipſe quidem neges, huius in expediendo cœpti conſilio virilem aliquando partem Arnulphi fuiſſe. atque ab illo quidem male pridem ſibi timuerat Calvini ſecta. divinum ingenium in ruinam erroris natum: nihil non illum vi argumentorum etiam à pervicacia poſſe eripere; raram & acrem indolem, doctrina omni exacutam & tritam

& tritam, ex illis ſibi infeſtis Ieſuitarum caſtris, quid niſi certam perniciem,ni caveant,portendere. Ergo hunc locum ſedulò munierant: Miniſtellos monuerant, vigilarent, animos contenderent, compararent ſe,viderent novum aliquid; & inopinatum quodpiam,ſi ille omnia perrumperet, ſuffugium mendacio providerent. Quid plura? molam aſinariam de piſtrino, demptam collo ſcandalorum Autoris,cui eam Chriſtus appenderat,ſtygij Cyclopes in ſcutum ſubitum conformarunt, manúque connixi læva objectavere pro Clypeo, non fidei, ſed fœneo, & futili adverſus ignea tela veritatis. Interea perfidiæ atque impietati qua Rei adverſus Deum Calviniſtę tenebãtur, Perduellio in Remp. rebellio in Regem eſt addita: nec jam literis & verbis in manus & tela jactantes vti tempeſtivum erat. Inſtat ergo aliter pro rei tunc aliud poſcentis mutata conditione Arnulphus. Armamẽtariorum machinis,non Scholarum technis, Alexandri virtute, non Ariſtotelis arte certat. agit cum Ludovico Rege precibus, conſiliis, ſermonibus aſſiduis, rebelles perdat, impios vlciſcatur, vel ſuâ vel Dei cauſâ moueatur, currenti quod aiunt calcar. volitat Catholicus exercitus Chriſtianiſſimo Rege duce: dicto citius vniuerſa Calvini partibus eripitur Bearnia: tum cœtera quæ noſtis. quis tum gemitus Hæreſeos? quæ deteſtatio atque indignatio diris inimicum Arnulphi caput devoventis? Proh. dirum hominem! ah perii ſi diutius vivit. quicquid vetus in me ille cogitavit Ignatius, hic Arnulphus perficiet. O infenſum Ieſuitarum nomen! Igitur actum eſt: nec tuæ te Rupella Moles, nec tuus Lacus Geneva ab Nationis eius efficacibus votis & diris execrationibus expediet. Quin vnus ille Arnulphus ſufficit, quo eſt animi robore, quóque mei flagrat odio. ſed & illo ſubla-

to alter non deerit, æterna gens eſt, licet in ea nemo naſcitur. Igitur, ſi quid vos Dæmones mei miſeret, iuuate laborantem, agite, irruite, omnes nocendi explicate artes: Quà vi, quà conſilio, quà impreſsione, quà inſidijs in genus infandum belligerate; maledictis præcipuè; validum hoc telum nam & altè ſauciat, & ſi vulnus coierit, deformitas tamen extat cicatricis. videtis PP. Orci conſilium perniciofum, & noſtro malo fœlix, ſi ceſſas Arnulphe. Iacent illa quidem monumenta barbara Pyramidum, cum ſuis conuitiorum plauſtris. ſublata ſunt ex oculis. hæret tamen adhuc iámque inveterauit penitus fœda labes in noſtro nomine; Collegij Claromontani in vrbe Regni primariâ ferale iuſtitium, funeſti exilij triſtes Reliquiæ, veſtigium contumeliæ etiam notæ & vindicatæ innocentiæ pudendum. Non hoc Arnulphus tulit: in rem incubuit, mouit rogavit, egit, impetrauit, ut par fuit. Quid enim non à iuſto Principe ius obtineat, cuius clementia nec gratiam, ſi eſſet opus, denegaret. ergo omnes impiorum conatus, apparatus, molitiones, calumnias, conſilia, tanto tempore compoſita vna momento disjicit vox Arnulphi. O te iterum obſtrictam Arverniæ, Lutetia? (cur enim non hoc quoque in tuis bonis numeres?) Iterum inquam obſtrictam in hoc virtutum literarúmque ſeminario tuæ opportuniſsimo Iuuentuti, quod Claromontanus Epiſcopus condidit, Ricomagenſis Arnulphus reſtituit. quod vtrúmque meritum ſi contendimus, antiquius illud primum Et liberalius. hoc poſterius neque forte minus operoſum, & magis certè fuit neceſſarium: cum nec minus indigeret vaga iuventus moderatoribus tunc quam olim, & nobis fuerit honeſtius habuiſſe numquam quod ſic auferretur, aut non attigiſſe penitus quod ita

partim eſſet redditum. Atque hæc ille maiora ita complexus eſt, vt nihil tam paruum quod ad noſtrarum rerum aliquam pertineret, indignum curâ & contentione ſuâ putaret. Et iam dubitabit aliquis an ex maiori Dei gloria ex bono Eccleſiæ noſtræque Societatis, ſuum illud Arnulphus tempus exegerit. Audiat ſi quis eſt huiuſmodi Pontificis Oraculum Gregorij XV. qui priuatis ad Arnulphum literis Poſtquam eſt ei gratulatus quod Rex Chriſtianiſsimus eum ſibi *Regalium cogitationum*, verba ſunt Pontificis *Moderatorem ſapienter adſciuerit*, ſic deinde addit: *nos certè ita tuis laudibus fauemus ut plurimi intereſſe credamus Catholicæ Religionis te diuturna iſtic auctoritate florere.* Quamquam hoc loco poterat auctoritas ſufficere Reuerendi Patris noſtri Generalis, qui Prolixis ad eum literis, neque ijs dictatis ſed manu propriâ perſcriptis, hæc habet inter cætera: *gratias infinitas ago ſummæ bonitati cui placet reuerentiam veſtram tamquam vas electum aſſumere ad gloriam nominis ſui tam variè longèque & excellenter pervehendam: nam vt de iis taceam quæ ad Religionis commune bonum ſpectant, Societatis noſtræ res omnes hoc tempore in RaVa & præſidium firmiſſimum & maximum decus agnoſcunt.* hæc verbis totidem tantus auctor, ſanè merito. quid enim ſibi reliquum Arnulphus fecit? vbi ſibi parcendum putauit vmquam? quid potuit homo Societatis noſtræ amplius facere? homo Societatis dico? quid per Deum immortalem ille ipſe Societatis Conditor ac pater Ignatius quid egiſſet in aulâ aliud quam quod Arnulphus? vnum puto non feciſſet Ignatius quod feciſſe Arnulphum nunquā pœnitebit, Cœleſtes ſibi honores non curaſſet adhibēdos. hoc enim certò ſcimus ad ſolemnē inter Sanctos conſecrationē Ignatij procuran-

dam vrgendámque multum efficacem ab Arnulpho adhibitam operam eſſe. Quis iam numeret quot aliis in rebus ſuâ illâ auctoritate & gratiâ feliciter vſus ſit? quot aberrantes ab officij viâ monendo revocaverit? quot diſsidentes conciliaverit? quot bene agentes in inſtituto confirmarit? quot incertos quid ſequerentur rectam in viam dederit? quot ignorantibus doctrinæ ſuæ lumen oſtenderit? quot hæſitantes conſilio rexerit, quot facinoroſos ab audendo ſcelere deterruerit obiurgando? quando non ille cum invidorum iniuriis certavit benefactis? quem modum ſtatuit benè merendi de inimicis? quas non contumelias ita æquo animo tulit, vt laudes alij? quam vmquam arripuit vlciſcendi facultatem? quando non precibus apud Deum & apud homines hoc egit vt ii eſſent fœliciſsimi qui illum quam miſerrimum eſſe voluiſſent? denique cum tandem cedendum invidiæ fuit (deijcit enim illa ſæpe virtutem, etſi non vincit) cum redeundum ad privatam vitam: num abjecit animum? num indignatus eſt? num quid impotens aut ſævum demiſſumve nimis oſtẽdit? vidiſtis ipſi & credo meminiſtis: ſuſtentavit ſe fructu & teſtimonio conſcientiæ in tali caſu, virtute ſe involuit ſuâ, & illam pompam atque ambitionem fauoris ac poteſtatis quam ad vnum vſum divinæ prouehendæ gloriæ tenendam putaverat, ita facilè moderatéque omnem depoſuit, vt qui Penulam exuit viâ perfunctus. ſic enim didicerat, iſtúdque altè fundamentum iecerat: vnum eſſe homini ſuper omnia diligendum Deum, cæterarum rerum remiſsiores, neque nimis addictos, at ſui compotes eſſe amores debere. Soli virtuti præcipuam impendendam curam, opes, honores, Amicitias, potentiam, & quæ homines vitæ incommodo, mortis periculo paſsim redimunt, ſi quam

ad virtutem facultatem afferunt, non reiicienda: Cæterum ſic habendum: eorum omnium, ſicut ſagittarum, in proiiciendo vſum eſſe præcipuum. Sic comparato, habitare diu non licuit in iſtâ quiete: gubernaculis Societatis admovetur: Gratianopolitanæ Profeſſorum domui primum præpoſitus, vt ille Romam de Lateritiâ marmoream, ſic iſte ſpartam ſuam de exiguâ ſatis amplam brevi reliquit: tum te in ſuam Toloſanam Domum vocavit Ignatius: tum te iterum plauſibus excepit Toloſa, & ex ore Cœleſti tota Pependit. Mox te Pręſidem Toloſanæ Provinciæ Roma præpoſuit; Cœlum eripuit. Gratiáne iſta fuit an ira Superi? Ita ne vero, ſi hoc donum eſſet proprium nimium vobis fœlices futuri videbamur? At minor dolor fuerat tanto boño mox auferendo caruiſſe: nunc irritatum experientia deſiderium luctum incendit. O noſtras ſpes inanes! O vota irrita! O falſa omina ſperatæ tranquillitatis! Verumtamen ingratos nos ſi ita noſtrum incommodum ad lamentandum intuemur, vt Arnulphi gloriam non attendamus ad ſuam ei fœlicitatem gratulandam. Luctuoſus nobis tuus obitus, ſed tibi fœlix, qui pręfecturam Regno mutaueris, exilium Patria, fletum riſu: iam tutus es, iam ſecurus, iam victor Arnulphe: nos Orbi, nos miſeri, ſed tanti eſt. Tu tuarum mercede laudum, nos memoria fruamur. Magna eſt fœlicitas quomodocumque ire quo iueris, in Cœleſte Regnum. ſed quanta & quam rara gloria ſic ire? Gravi tu quidem valetudine & longa & laborioſa confectus es: ſed extabat tua virtus tamen, vímque morbi vincebat. Laus eſt in malis perferendis ſumma patientiæ. Tu illam etiam charitate commendabas: cum te poſtquam (ſic eſſet Deo placitum, pati delectaret. At quæ tuæ cogitationes tabe lenta conſeneſcentis, quã Cœleſtes erant?

quando non tu Dei faciem, Sanctorum Conſortium, voluptatem Domus Domini quo dudum ferebaris deſiderio, loquebaris? quæ tu mandata nobis flentibus quæ monita moriens dediſti? quam æquo quam præſenti animo, quam compoſito, omnes acerbitates vel languoris vel curationis exhauſiſti? quam ſæpe quantóque dolore etiam longè repetitâ antè actæ vitæ memoriâ peccata confeſſus rite es? quoties Cœleſtis menſæ ferculum viæ difficilis viaticum & petiiſti & impetraſti? quæ vox tibi umquam excidit niſi pia, niſi religioſa? cum à multis diebus nihil iam penè aliud niſi Davidis linguâ piis è Pſalterio ſententiis loquereris, migras demum & ſupremo inauguratus oleo Cœlorum ad Regnum euolas? I decus noſtrum! I fœlix anima! & tibi Beatorum ſedes & ſanctorum ſepulchrum Corporum Toloſa debebatur. Ne hoc quidem ſine numine quod illic cadis potiſsimum vbi, vt taceam de aliis, paulò ante Carolus A Lotharingiâ. Dudum hoc Deus voluit Sanctorum Corporum velut Paradiſum quemdam Toloſam eſſe Septem Illic Apoſtoli de duodecim, Sexcenti Martyres, totidem Pontifices, Confeſſores, Virgines, reliquias ſuas in diem Domini depoſitas habent, & gaudent habere. Dignus hic locus tui Cineris: At ne Europæ quidem finibus tua fama capietur: neque porro ætas vna tuâ in laude verſabitur: omnia te ſæcula prædicabunt. dum erunt literæ, Dum Hiſtoriæ memoria, dum Regnum Franciæ, Dum Eccleſia, tua immortalis virtus Arnulphe celebrabitur. Societas vero cum ſuorum te parentum & primorum Procerum laude coniunget, & inter heroas illos Fabros, Iaïos, Laynefios, alios, Arnulphum te quoque tamquam Exemplar abſolutæ virtutis admirandum imitandumque offeret ſuæ Iuuentuti,

DIXI.

# ORATIO X.

## VERRINA IN OROETEM.

## SIVE

## ACCVSATIO OROETIS

*Sardium Rege Cambyze Præfecti, qui Polycratem Sami Regem perfidioſiſſimè ac crudeliſſimè, Socium amicumque, exquiſitis cruciatibus necauerat. Accuſatur autem apud Otanem, cuius Pater Siſamnæ; quòd iniuſtè ob pecuniam iudicaſſet, iuſſu Cambyſis excoriatus fuerat, tum eius pelle tribunal ſtratum ex quo Ius dicebat Otanes. Vt narrat Herodotus lib. v. Pag. 338. Edit. Steph. Polycratis verò tragica cataſtrophe deſcribitur ab eodem fusè lib. III. à pag. 236.*

AVDIO Græcos homines qui in meditatione Rhetoricarum artium otioſius conflictati ſunt, ſic præcipere ſolere: Accuſatoris eſſe primùm omnium occupare odio mentem Iudicis; & adverſus omnem miſe-

ricordiam ſævitiâ munire. Ego vero, Iudices, cum ob reverentiam patriarum legum; quarum nos ſanctiſsima diſciplina nefarium omnem conatum docet eſſe obſcurandæ veritatis, ſuam illis iſtam aſtutiam relinquendam ſemper ſtatui; tum in hoc certè delectu ſeveriſsimi conſilij, in tam perdito, tam omni ſcelere cooperto, tam omnium autoritate legum; omnium hominum indignatione atque execratione præjudicato reo, omnem eſſe intelligo ſuperfluam inflammandæ iracundiæ contentionem. Ne enim quæſo, Iudices, vſitatum expectetis quippiam; Scio ego quoque mediocria quædam eſſe peccata: neque, vt Græculi diſputant, paria omnia. Intereſt vtrum quis liberâ voluntate ſcelus vltrò invaſerit: an irritatus, non ſe tenuerit. Certorum criminum vlciſcendi libidine ſuſceptorum injuriæ prius acceptæ magnitudo minuit invidiam. multa errori condonantur. Nonnullam quoque excuſandi vim. temeritas ruentis cupiditatis, & æſtus incitati animi apud æquiſsimos quoſque obtinent. Denique hoc ſentio: humanitate tum in æſtimando tum in puniendo dignanda eſſe ſi qua humanitùs peccata ſunt. Probabilis oratio cum dicitur: præceps iracundiâ fecit. gravi laceſsitus contumeliâ eſt. magnâ ſpe ruit. Exemplum habuit. Quorum ſi quid erit omnium in hoc Reo, Iudices, hoc à vobis non æquo ſolum feram animo; ſed contendam etiam & rogabo, vt miſereamini. Iam hinc hoc profiteor; hoc prædico; hujusque vocis ac ſupplicationis vos eſſe omnes teſtes ac memores volo. Parcite Orœti, Iudices, ſi, non dico excuſationem, ſed cauſam omnino aliquam peccandi habuit. Si aliquem ſtatuit improbitatis modum: ſi mediocriter crudelis fuit, innocens habeatur. Si ſecutus eſt aliquid, rectè feciſſe judicetur. Si denique vel in extremâ Scythiâ exemplum reperire

aliquod ſui ſceleris poterit, impunè ferat. Sin omnem expectationem ac cogitationem animi inaudito parricidio ſuperavit; ſi omnia omnium Gentium naturæque jura cupiditate proſtravit, furore confudit, inexpiabili ſcelere obruit; ſi ſine ſpe auſus eſt, ſine injuria ſævijt, ſine provocatione invaſit, ſine cauſa occidit, ſine modo debacchatus eſt: ſi id ludibundus commiſit quod auditum horreant Æthiopes, quod Scythæ ipſi Anthropophagi abominentur: ſi Hiſtoriarum omnium memoriam fabularum etiam & Tragœdiarum confictas acerbitates incredibili atrocitate inauditi piaculi longo poſt ſe intervallo liquit. Quæſo obteſtorque, Iudices, expiate hanc maculam noſtri nominis, hoc dedecus imperij obliterate. miſeremini legum, quas hic omni ludibrio violavit; juris, quod addixit ſceleri; Regij nominis ampli ac penè religioſi, quod iſte phanaticus ſervili ſupplicio ad æternam infamiam deformavit. Quæ omnia cum fidem longè omnem, imo ſuſpicionem ſuperent, timendum mihi ſanè fuerat, ne mea incredibilis quædam & aſpernanda accuſatio videretur. Sed benè habet. procul abſumus ab iſto periculo. plana omnia teſtatáque quæ dicemus ſunt. in luce publica verſantur. fama percrebuerunt. communi rumore finitimarum gentium diſsipata ſunt. palam & luce geſta in oculis Aſiæ. Nam cum hic impurus homo, imo monſtrum importuniſsimum immane aliquod infandi parricidij ſpecimen animo & deſtinatione concepiſſet id ſolum laboravit vt ei ſceleri quod fore videbat omnium facilè maximum, parem impudentiæ improbitatem adæquaret. Quare ſi qua dicam dubia quin pro falſis reiiciantur non recuſo. Nulla in contorta ſubtilitate ſuſpicioſæ indagationis mea reptabit oratio: nihil cuniculis petam: nihil callidis interrogantiunculis eripiam: nihil ex

dictis colligam criminoſius: nulla calumnia, nulla arte, Iudices, graſſabor: purè denique & dilucidè rem vti geſta eſt narrabo. quod vt libenter audiatis, breviter faciam: vos, vt ego non ſolicitè dicam, attentè, vt facitis, audire perſeverate.

Samus eſt Icarij maris Inſula, Iudices, & in ea Civitas, nec frequentia, nec opibus, Ionicarum vlli vrbium ſecunda. Obunebat ibi multos jam annos principatum quidam Polycrates, lautus & felix homo, Ægyptiorum Regum amicitia, Græcorum prædicatione, ſuorum veneratione clarus iu paucis. Erat hic jam grandis natu: & ætate ac conſuetudine inſtitutóque vitæ, præter Græcorum morem ad quietem otiumque compoſitus. Vna cura erat homini jucundè vivere cum ſodalibus diſertis: & inter greges Poëtarum humaniſsimorum facetiis argutis, & ſalſis dicteriis audiendis juxta dicendíſque ſuaviſsimè diem terere. Florebat interea fundatiſsima pace, &, quæ illam ſolet conſequi, rerum omnium copia, Samiorum Civitas atque regio: multiſque, vt fit, finitimorum peregrinationibus celebrabatur; qui eam terram & feracitate frugum ac fructuum, & humanitate ac numero Incolarum, viſendam arbitrabantur: &, quod caput eſt, vetere religione venerandam; quòd Iunoni Reginæ, quam ſororem & conjugē Iovis deorum maximi pleraque omnis agnoſcit Græcia, tellus ea propria & natalis putaretur. cujus etiam Deæ beneficæ gratæque voluntati acceptum referebant Samij beneficium tranquillitatis publicæ, qua in ſumma perturbatione rerum & conſternatione finitimarum circa gentium ſoli ferè fruebantur. Itaque cum à Rege omnis memoriæ maximo atque fortiſsimo noſtri hujus Imperij fundatore Cyro, ſubacta Lydia, expugnatis Sardibus, capto ipſo Rege Clariſsimo

Crœſo totus terrarum orbis commoveri videretur: cum indignè ferret Sparta; bellum Athenienſes meditarentur; coirent Arcades, Macedones deliberarent, Thebani nutarent, ad inſulas quoque ipſas & terras remotiſsimas Italiam ac Siciliam Græcorũ juxta Barbarorũque animos is nuncius in noſtrũ nomẽ metu quodã concitaſſet; vna illa finitima & potẽtiſsima Civitas patiẽtiſsimè Samus acquievit. Præficitur interea Sardibus atque adeo toti illi regno opimo Lydiæ voluntate Cyri Regis Orœtes homo hic nefarius; qui cum in humilitate ſua, audacia ſe quadã & militiæ patientia commendaſſet, tunc elatus inſolentia cupiditates illas quas vtcumque continuerat, effuſis habenis in omne deinceps dedecus & flagitium præcipites incitavit. cujus omnis accuſationis vaſtitatem cum hæ præfiniti temporis anguſtiæ non capiant, hoc tam verè quam breuiter confirmabo vobis, Iudices, nihil iſtud importunum caput, ad ſummam turpitudinem in flagitiis, ad extremam crudelitatem in cædibus, ad improbiſsimam auaritiam in rapinis, ad phanaticam dementiam in omnibus ſacrilegiis, ſibi reliquum feciſſe. Iſtorum tamen nihil omnium in oratione ponam mea, tantamque facultatem negligam, partim pudore revocatus à commemorandis ijs quæ ab iſto libidinoſè perpetrata multa ſunt: partim memoria tantum numerum, ſpatio tantam varietatem rerum ac criminum minimè capiente: partim feſtinatione quadam, qua dum rapior ad alia, illa ipſa quæ ſelegeram tranſigere cogor leviter, aut faſtigij tenus in tranſcurſu delibare. Mitrobates erat, id quod omnes meminiſtis, vir nobiliſsimus, & de Rege Cyro priuatim optimè meritus: hunc Oroetes ex inſidiis nec opinantem aggreſſus, crudeliſsimè trucidavit. Filius illi fuerat Cranapes, magnæ ſpei adoleſcens

& aliquot iam ſtipendiis probatæ virtutis : hunc quoque ſine vlla cauſa, manu ſua interfecit. Erat ad eum nuper cum multis Darij Regis literis deſtinatus maximarum rerum nuncius, qui regia authoritate & legati nomine juréque gentium ſe in media barbarie tutiſsimum putaret, Is in hujus domo palam, nulla ne minima quidem laceſsiti injuria, tantum quod parum læta nunciaret, ab hac immani bellua excruciatus & necatus eſt. qua quæſo tam atroci ſingularis ſceleris mentione ne concitari vos ſinatis, Iudices, vehementius: hoc accuſator nouum á judicibus poſtulo, ne iraſcamini leuia illa & toleranda putatote. nolo vos iracundiam in his primis hebetare. ſuſtinete vos & omnes indignationis aculeos ad majora quædam integros & atrociora reſeruate. Mirus hic artifex ſcelerum eſt, quæ audiſtis ludus illi tot annis & remiſsionis inſtar quotidianæ fuerunt. Ex iſtis rudimentis ad quam robuſtam improbitatem denique profecerit nolo nos in ſtatuendo aut æſtimando laborare, audiendo potius cognoſcite. Cum enim hic quotidianis cædibus mentem paſcens atque oculos, ſibi diu non placeret, quòd in vſitatis ſceleribus crudelitas eius, quam eſſe ipſe ſingularem cuperet, verſabatur, repente inceſsit eius animum nefaria cupido Polycratis Socij atque amici, tum omnium mortalium pacatiſsimi Regis, exquiſitis ſuppliciis occidendi. Adhæſit cupide ad eam ſpeciem inauditi ſceleris immane quantum ferus animus. in eaque cura libentiſsimè ac cogitatione acquievit. Rem adornat interea. legatum deſtinat. falſam quieto ſpem oſtentat. ne multis, perſuadet denique, vt ex ſua inſula magnis de negotijs communibus acturus ad eum Sardis veniat. Fecit hoc miſer & fato ſuo præceps quod multi diſſuaſerunt prius quam faceret, plures etiam factum reprehen-

derunt. videre tamen licet quid ſecutus ſit, Audiuerat de noſtris legibus, de inſtitutione, de amore veritatis. ſi noſtræ fidei diffideret, metuebat ne jus gentium ſuſpicione ſua violare videretur. ſciebat nullam gentem, tam inſtitutione rudem, tam conſuetudine crudelem, tam natura feram, tam immanitate barbaram, inter rupes Caucaſi, inter Hircanas tygres aut dracones Æthiopiæ natam educatam ve, vllo vmquam tempore fando eſſe auditam, quicum jungere commercia, data præſertim & accepta fide tutum non haberetur. ſi eſſet vlla fides in rebus humanis, ſi qua juramenti religio & ratio, ſi qua ſocietas à natura ipſa conſiliata inter humanum genus nullam eſſe profectò cauſam dubitandi. Ita ſubducta ſumma rationis & ſpei ſuæ, ſoluit Samo Polycrates, inter ſuorum vota & deſideria magno ſenſu proſequentium; vixque è complexu vnicæ filiolæ, quæ patri flens & ejulās ſuū triſtiſsimū caſum ominabatur, flens ipſe conſolánſque divulus eſt. dat ſe mari, paucis navibus, modico comitatu, penè infra regium morem, inermis ipſe cum ſuis omnibus. in quo etiam laboraverat, ne quam ſermonum cuipiam ſuſpicionúmque dediſſe anſam videretur. itaque etiam ex quotidiana pompa domeſtici apparatus & ſatellitii quantum potuit detraxit. Porrò in comitatu, non Solyzontem aut Pantognotum fratres, militares homines & ſtrenuos, habuit: ſed Democedem crotonienſem nobilem medicum, Anacreontem Teïum inſignem Poëtam, & ſi quos alios ejuſmodi literatos homines, vt quam nullo metu, quanta fiducia veniret hoſpes ad hoſpites, comitatus ipſe loqueretur. Cum his appellit demum infeliciter ad fatalem ſibi portum miſer. exſcendit ſecurus, expoſitis comitibus progreditur, oculis & vultu toto ſpirans humanitatem; ac benevolentiam benigno riſu, liberaliter explicata fronte, de-

miſsis pene ad privatam modeſtiam ſuperciliis, nullo faſtu, ſignificans. Occurrit iſte præceps ſcelere, furorem anhelans, torvus iracundia, cum expedita manu ſicariorum, armatus in equo cataphracto & procul incitato curſu, ſalutato convicijs tanto hoſpite, impetum ſtrictis gladijs cum cohorte latronum in paucos & inermes facit, amplexúmque expectantes atque oſculum vinculis conſtrictos omnes cũ Polycrate, teterrimo ergaſtulo ſubterranei carceris includit. Hic me ſollicitaſſe veſtrũ communem ſenſum humanitatis commemoratione deteſtabilis perfidiæ parumper, Iudices, intelligo: veſtriſque hoc in frontibus atque oculis videor mihi legere: ſed obfirmate animos per Deos, neque huic molliciei clementioris naturæ concedite: atque adeò ſic ſtatuite vos non de homine aliquo ſcelerato, ſed de quodam importuno monſtro iudicare. violatum hoſpitium, leue eſt ſuſceptum periurium, vſitata res Oroeti. polluta fidei Religio, quotidianum. hoſtiliter accepti ſocij, vexati innocentes, ſpreta maieſtas rerum, aflicta & deformata dignitas, parua omnia & ferenda in hoc homine putẽtur quærat aliquis quid ad hæc potuit addere? cogitate ſcelus quam poteritis maximè nefarium: multo infra rei atrocitatem ſuſpicio ſubſidet. Quid enim in Innocentem & Regem homo ſocius conſulere tam infeſtum potuit? ſpoliauit? non eſt contentus prædâ libertatis pretiũ exegit? non eſt cupidus pecuniæ Regem cecidit? flagitioſum: ſeruile eſt enim. verumtamen non hæc ſumma eſt; clam veneno ſuſtulit! nefarium id quidem: innocentem, inauditum, indemnatúmque: atrocius quidpiam molitus eſt. An percuſsit ferro? vtinam id quidem: ferremus, ſi feciſſet taciti, & humanè actum putaremus. Quid enim amplius diſsimulo aut cui me

reſeruo indignitati maiori? Luce, Iudices, & palam in frequentiſsimæ ciuitatis oculis. Seruile ad ignominiam, accerbiſsimum ad ſenſum, de fœderato atque amico Rege ſupplicium ſumit. conſtituitur in foro Magneſiæ inopinatum ſpectaculum & Luctuoſum toti Aſiæ. crux meridie iuſſu iſtius figitur in plateâ: expectantibuſque omnibus & ſciſcitantibus cui pararetur; producitur è carcere ſquallēs & deformatus poſt tergum reuinctis manibus Polycrates Rex Sami. fletus omnium & conclamatio tollitur. Quam inter à robuſtis huius carnificibus ſpoliatur & flagris conciditur, tum in funeſtam arborem fruſtra Deorum hominúmque qui uſpiam ſunt omnium fidem implorās agitur: ibidemque inter aſperos diuturnóſque cruciatus mortuus, feris inſepultus beſtiis auibusque obiicitur O acerbam deplorandámque Fortunam! O ſcelus incredibile! dicam enim, Iudices, ingenuè. Laborat in his quæ dico mea ipſius fides: ſenſuum indicia famęque conſtantiam ac teſtimonium cognitionis publicæ, atrocitate rei deterritus animus aſſenſione fruſtatur. Hoccine vt tam importunum tamque immane prodigiū Aſia terra tulerit? viſum ſit ſpecie hominis adeo cruentum animal & ſanguinarium? ad hunc rigorem tam ferreum humani pectoris mollities concreſcere potuerit? Atqui ſi quid eſt quidem certum inter homines, hoc eſt profecto, Iudices, huiuſmodi vt eſſe nemini dubium poſsit. ſubiecit præſens oculis civitas ampliſsima Magneſia, multa hominum millia viderunt. ſol hic ipſe teſtis eſt Deorum maximus, cuius nūmen conſpectúmque ſanctiſsimum non eſt veritus hic furcifer horrendo parricidio funeſtare. Itaque, ſi teſtes opus ſunt, affatim eſt teſtium quamquam inſtar eſſe multorum poteſt ipſe nefarius, idem qui author

fuit, fatetur enim neque ad hoc negandum ſua illi, qua nulla umquam fuit impudentior, ſufficit audacia, ſubigit eum conſcientia, exagitant furiæ, urgent impium ac præcipitant iræ Deorum. Odit iampridem lucem, deſperavit rebus ſuis. Hoc vos rogat; & flagitat, ne condemnare cunctemini dudum à ſeipſo convictum & præjudicatum Reum. Verumtamen injuriam facie æquitati veſtræ prudentiæque, Iudices, qui vos non ex veſtro ſenſu, ſed ex alieni authoritate iudicij de tanto hoc crimine ſtatuere velim. verto rationem, reuoco me, nolo vllo præjudicio veſtrarum ſententiarum arbitrium occupari. liberè decernite: & prius qui rationes officiorum omnium ſubductas diligentiſsimè tenetis, vim ac gravitatem huius infandi ſceleris veri ad examen iudicij ſuis momentis libratote. ſi quid in appellanda ſuo nomine hac tam inopinata importunitate immanitatis æſtimando forte conſequi potueritis. Quonam igitur, Orœte, vis dicamus nomine tuum iſtud facinus, quod barbarorum crudelitatem, belluarum feritatem omnium, ex ſcytharum & maſſagetarum atque ex omni colluvione monſtrorum collectam & expreſſam velut ad ſpeciem vno impetu furoris improbiſsimi, vnâ graſſatione conſcelerati latrocinij repræſentat. Homicidium vocas: leve nomen ſceleris tam gravis: verum ſit ita ſanè. tamen vox te naturæ & ſenſus communis humanitatis tenere in illo furoris æſtu debuerat; certe retardare. Ita enim videmus: parentem rerum omnium Naturam, ſiue maior quædam vis eſt, quæ hæc gubernat omnia, adeo caviſſe diligenter quò divinum iſtud animal, cui principatus vniuerſitatis eſt attributus, hominem, ſacro-ſanctum præſtaret, atque ab omni vi tutum, vt etiam belluis immaniſsimis aliquam eius violandi

ſandi verecundiam impreſſerit. quamquam quid ego dignitatem eius rei repeto cuius in perniciem vis graſſatur huius ſceleris? cum ipſe etiam innoxius alienâ cautione ad cædem impetus, & ſanguinaria cupiditas ruentis iræ, à ſumma turpitudine, qua contaminari ſpecies humanitatis poſsit, nihil quidquam abeſſe videatur. Itaque ſapientiſsimos homines accepimus etiam in eos vim ſeueriſſimarum excitaſſe legum, quos excæcandis cornicibus, aut ejuſmodi aviculis configendis; cæterorumque brutorum etiam animalium facienda cæde, ſine modo & cum aliqua ſignificatione voluptatis conſtaret eſſe debacchatos. Adeò non ſæpius quid jure poſsit, quam quid ipſum deceat reputandum eſt homini, ad Naturæ divinæ beneficentiſsimæ ſimilitudinem nato. Tibi vero cujus feræ rabies, cuius Leonis Inflammatus furor iecur impurum accenderat ad hanc tam importunam tāque impotentem ſitim humani cruoris. Vſqueadeo te nihil communio naturæ nihil par mēbrorū conformatio, nihil illius, quē profundebas ſanguinis communis cum tuo permouebat color vt aliis offerenda morte tuæ mortalitatis non recordareris? rapiebas vndique & compilabas omnia, fana & profana vnum tibi & idem erant. jura, religiones, leges ſúſque à te déque habita. nihil vlla maieſtate ſanctitatis à tua ſe vmquam rapacitate vindicavit. nulla te pupilli miſericordia ab impudentia hæreditatis inuadendæ, nullus reſpectus beneficij ab inficiando debito, nullæ ſupplicis lacrymæ à vendenda ſententia, nulla Deorum hominū ve cogitatio ab omni prædæ genere corradēdo revocavit. Eſto ſane. tolerabile in te videatur. vtilitas tibi erat antiquior officio. erat quod ſequereris. igitur horum nihil in te accuſandū puto. Cæde vero facienda quid conſequebaris? quod tibi lucrum ex

ricordiam ſævitiâ munire. Ego vero, Iudices, cum ob reverentiam patriarum legum, quarum nos ſanctiſsima diſciplina nefarium omnem conatum docet eſſe obſcurandæ veritatis, ſuam illis iſtam aſtutiam relinquendam ſemper ſtatui; tum in hoc certè delectu ſeveriſsimi conſilij, in tam perdito, tam omni ſcelere cooperto, tam omnium autoritate legum, omnium hominum indignatione atque execratione præjudicato reo, omnem eſſe intelligo ſuperfluam inflammandæ iracundiæ contentionem. Ne enim quæſo, Iudices, vſitatum expectetis quippiam; Scio ego quoque mediocria quædam eſſe peccata: neque, vt Græculi diſputant, paria omnia. Intereſt vtrum quis liberâ voluntate ſcelus vltrò invaſerit: an irritatus, non ſe tenuerit. Certorum criminum vlciſcendi libidine ſuſceptorum injuriæ prius acceptæ magnitudo minuit invidiam. multa errori condonantur. Nonnullam quoque excuſandi vim. temeritas ruentis cupiditatis, & eſtus incitati animi apud æquiſsimos quoſque obtinent. Denique hoc ſentio: humanitate tum in æſtimando tum in puniendo dignanda eſſe ſi qua humanitùs peccata ſunt. Probabilis oratio cum dicitur: præceps iracundiâ fecit. gravi laceſsitus contumeliâ eſt. magnâ ſpe ruit. Exemplum habuit. Quorum ſi quid erit omnium in hoc Reo, Iudices, hoc à vobis non æquo ſolum feram animo; ſed contendam etiam & rogabo, vt miſereamini. Iam hinc hoc profiteor; hoc prædico; hujusque vocis ac ſupplicationis vos eſſe omnes teſtes ac memores volo. Parcite Orœti, Iudices, ſi, non dico excuſationem, ſed cauſam omnino aliquam peccandi habuit. Si aliquem ſtatuit improbitatis modum: ſi mediocriter crudelis fuit, innocens habeatur. Si ſecutus eſt aliquid, rectè feciſſe judicetur. Si denique vel in extremâ Scythiâ exemplum reperire

aliquod ſui ſceleris poterit, impunè ferat. Sin omnem expectationem ac cogitationem animi inaudito parricidio ſuperavit; ſi omnia omnium Gentium naturæque jura cupiditate proſtravit, furore confudit, inexpiabili ſcelere obruit; ſi ſine ſpe auſus eſt, ſine injuria ſævijt, ſine provocatione invaſit, ſine cauſa occidit, ſine modo debacchatus eſt: ſi id ludibundus commiſit quod auditum horreant Æthiopes, quod Scythæ ipſi Anthropophagi abominentur: ſi Hiſtoriarum omnium memoriam fabularum etiam & Tragœdiarum confictas acerbitates incredibili atrocitate inauditi piaculi longo poſt ſe intervallo liquit. Quæſo obteſtorque, Iudices, expiate hanc maculam noſtri nominis, hoc dedecus imperij obliterate. miſeremini legum, quas hic omni ludibrio violavit; juris, quod addixit ſceleri; Regij nominis ampli ac penè religioſi, quod iſte phanaticus ſervili ſupplicio ad æternam infamiam deformavit. Quæ omnia cum fidem longè omnem, imo ſuſpicionem ſuperent, timendum mihi ſanè fuerat, ne mea incredibilis quædam & aſpernanda accuſatio videretur. Sed benè habet. procul abſumus ab iſto periculo. plana omnia teſtatáque quæ dicemus ſunt. in luce publica verſantur. fama percrebuerunt. communi rumore finitimarum gentium diſsipata ſunt. palam & luce geſta in oculis Aſiæ. Nam cum hic impurus homo, imo monſtrum importuniſsimum immane aliquod infandi parricidij ſpecimen animo & deſtinatione concepiſſet id ſolum laboravit vt ei ſceleri quod fore videbat omnium facilè maximum, parem impudentiæ improbitatem adæquaret. Quare ſi qua dicam dubia quin pro falſis reiiciantur non recuſo. Nulla in contorta ſubtilitate ſuſpicioſæ indagationis mea reptabit oratio: nihil cuniculis petam: nihil callidis interrogantiunculis eripiam: nihil ex

dictis colligam crimĩnoſius: nulla calumnia, nulla arte, Iudices, graſſabor: purè denique & dilucide rem vti geſta eſt narrabo. quod vt libenter audiatis, breviter faciam: vos, vt ego non ſolicitè dicam, attentè, vt facitis, audire perſeverate.

Samus eſt Icarij maris Inſula, Iudices, & in ea Civitas, nec frequentia, nec opibus, Ionicarum vlli vrbium ſecunda. Obtinebat ibi multos jam annos principatum quidam Polycrates, lautus & felix homo, Ægyptiorum Regum amicitia, Græcorum prædicatione, ſuorum veneratione clarus in paucis. Erat hic jam grandis natu: & ætate ac conſuetudine inſtitutóque vitæ, præter Græcorum morem ad quietem otiumque compoſitus. Vna cura erat homini jucundè vivere cum ſodalibus diſertis: & inter greges Poëtarum humaniſsimorum facetiis argutis, & ſalſis dicteriis audiendis juxta dicendíſque ſuaviſsimè diem terere. Florebat interea fundatiſsima pace, &, quæ illam ſolet conſequi, rerum omnium copia, Samiorum Civitas atque regio: multiſque, vt fit, finitimorum peregrinationibus celebrabatur, qui eam terram & feracitate frugum ac fructuum, & humanitate ac numero Incolarum, viſendam arbitrabantur: &, quod caput eſt, vetere religione venerandam; quòd Iunoni Reginæ, quam ſororem & conjugẽ Iovis deorum maximi pleraque omnis agnoſcit Græcia, tellus ea propria & natalis putaretur. cujus etiam Deæ beneficæ gratæque voluntati acceptum referebant Samij beneficium tranquillitatis publicæ, qua in ſumma perturbatione rerum & conſternatione finitimarum circa gentium ſoli ferè fruebantur. Itaque cum à Rege omnis memoriæ maximo atque fortiſsimo noſtri hujus Imperij fundatore Cyro, ſubacta Lydia, expugnatis Sardibus, capto ipſo Rege Clariſsimo

Crœſo totus terrarum orbis commoveri videretur: cum indignè ferret Sparta; bellum Athenienſes meditarentur; coirent Arcades, Macedones deliberarent, Thebani nutarent, ad inſulas quoque ipſas & terras remotiſsimas Italiam ac Siciliam Grçcorũ juxta Barbarorũque animos is nuncius in noſtrũ nomẽ metu quodã concitaſſet; vna illa finitima & potẽtiſsima Civitas patiẽtiſsimè Samus acquievit. Prçficitur interea Sardibus atque adeo toti illi regno opimo Lydiæ voluntate Cyri Regis Orœtes homo hic nefarius; qui cum in humilitate ſua, audacia ſe quadã & militiæ patientia commendaſſet, tunc elatus inſolentia cupiditates illas quas vtcumque continuerat, effuſis habenis in omne deinceps dedecus & flagitium præcipites incitavit. cujus omnis accuſationis vaſtitatem cum hæ præfiniti temporis anguſtiæ non capiant, hoc tam verè quam breuiter confirmabo vobis, Iudices, nihil iſtud importunum caput, ad ſummam turpitudinem in flagitiis, ad extremam crudelitatem in cædibus, ad improbiſsimam auaritiam in rapinis, ad phanaticam dementiam in omnibus ſacrilegiis, ſibi reliquum feciſſe. Iſtorum tamen nihil omnium in oratione ponam mea, tantamque facultatem negligam, partim pudore revocatus à commemorandis ijs quæ ab iſto libidinoſè perpetrata multa ſunt: partim memoria tantum numerum, ſpatio tantam varietatem rerum ac criminum minimè capiente: partim feſtinatione quadam, qua dum rapior ad alia, illa ipſa quæ ſelegeram tranſigere cogor leviter, aut faſtigij tenus in tranſcurſu delibare. Mitrobates erat, id quod omnes meminiſtis, vir nobiliſsimus, & de Rege Cyro priuatim optimè meritus: hunc Orœtes ex inſidiis nec opinantem aggreſſus, crudeliſsimè trucidavit. Filius illi fuerat Cranapes, magnæ ſpei adoleſcens

& aliquot iam ſtipendiis probatæ virtutis : hunc quoque ſine vlla cauſa, manu ſua interfecit. Erat ad eum nuper cum multis Darij Regis literis deſtinatus maximarum rerum nuncius, qui regia authoritate & legati nomine juréque gentium ſe in media barbarie tutiſsimum putaret, Is in hujus domo palam, nulla ne minima quidem laceſsiti injuria, tantum quod parum læta nunciaret, ab hac immani bellua excruciatus & necatus eſt. qua, quæſo tam atroci ſingularis ſceleris mentione ne concitari vos ſinatis, Iudices, vehementius: hoc accuſator nouum á judicibus poſtulo, ne iraſcamini leuia illa & toleranda putatote. nolo vos iracundiam in his primis hebetare. ſuſtinete vos & omnes indignationis aculeos ad majora quædam integros & atrociora reſeruate. Mirus hic artifex ſcelerum eſt, quæ audiſtis ludus illi tot annis & remiſsionis inſtar quotidianæ fuerunt. Ex iſtis rudimentis ad quam robuſtam improbitatem denique profecerit nolo nos in ſtatuendo aut æſtimando laborare, audiendo potius cognoſcite. Cum enim hic quotidianis cædibus mentem paſcens atque oculos, ſibi diu non placeret, quòd in vſitatis ſceleribus crudelitas eius, quam eſſe ipſe ſingularem cuperet, verſabatur, repente inceſsit eius animum nefaria cupido Polycratis Socij atque amici, tum omnium mortalium pacatiſsimi Regis, exquiſitis ſuppliciis occidendi. Adhæſit cupide ad eam ſpeciem inauditi ſceleris immane quantum ferus animus. in eaque cura libentiſsimè ac cogitatione acquievit. Rem adornat interea. legatum deſtinat. falſam quieto ſpem oſtentat. ne multis, perſuadet denique, vt ex ſua inſula magnis de negotijs communibus acturus ad eum Sardis veniat. Fecit hoc miſer & fato ſuo præceps quod multi diſſuaſerunt prius quam faceret, plures etiam factum reprehen-

derunt. videre tamen licet quid ſecutus ſit, Audiuerat de noſtris legibus, de inſtitutione, de amore veritatis. ſi noſtræ fidei diffideret, metuebat ne jus gentium ſuſpicione ſua violare videretur. ſciebat nullam gentem, tam inſtitutione rudem, tam conſuetudine crudelem, tam natura feram, tam immanitate barbaram, inter rupes Caucaſi, inter Hircanas tygres aut dracones Æthiopiæ natam educatam ve, vllo vmquam tempore fando eſſe auditam, quicum jungere commercia, data præſertim & accepta fide tutum non haberetur. ſi eſſet vlla fides in rebus humanis, ſi qua juramenti religio & ratio, ſi qua ſocietas à natura ipſa conſiliata inter humanum genus nullam eſſe profectò cauſam dubitandi. Ita ſubducta ſumma rationis & ſpei ſuæ, ſoluit Samo Polycrates, inter ſuorum vota & deſideria magno ſenſu proſequentium; vixque è complexu vnicæ filiolæ, quæ patri flens & ejulãs ſuũ triſtiſsimũ caſum ominabatur, flens ipſe conſolánſque divulus eſt. dat ſe mari, paucis navibus, modico comitatu, penè infra regium morem, inermis ipſe cum ſuis omnibus. in quo etiam laboraverat, ne quam ſermonum cuipiam ſuſpicionúmque dediſſe anſam videretur. itaque etiam ex quotidiana pompa domeſtici apparatus & ſatellitii quantum potuit detraxit. Porrò in comitatu, non Solyzontem aut Pantognotum fratres, militares homines & ſtrenuos, habuit: ſed Democedem crotonienſem nobilem medicum. Anacreontem Teïum inſignem Poëtam, & ſi quos alios ejuſmodi literatos homines, vt quam nullo metu, quanta fiducia veniret hoſpes ad hoſpites, comitatus ipſe loqueretur. Cum his appellit demum infeliciter ad fatalem ſibi portum miſer. exſcendit ſecurus, expoſitis comitibus progreditur, oculis & vultu toto ſpirans humanitatem; ac benevolentiam benigno riſu, liberaliter explicata fronte, de-

miſsis pene ad privatam modeſtiam ſuperciliis, nullo faſtu, ſignificans. Occurrit iſte præceps ſcelere, furorem anhelans, torvus iracundia, cum expedita manu ſicariorum, armatus in equo cataphracto & procul incitato curſu, ſalutato convicijs tanto hoſpite, impetum ſtrictis gladijs cum cohorte latronum in paucos & inermes facit, amplexúmque expectantes atque oſculum vinculis conſtrictos omnes cũ Polycrate, teterrimo ergaſtulo ſubterranei carceris includit. Hic me ſollicitaſſe veſtrũ communem ſenſum humanitatis commemoratione deteſtabilis perfidiæ parumper, Iudices, intelligo: veſtriſque hoc in frontibus atque oculis videor mihi legere: ſed obfirmate animos per Deos, neque huic molliciei clementioris naturæ concedite: atque adeò ſic ſtatuite vos non de homine aliquo ſcelerato, ſed de quodam importuno monſtro iudicare. violatum hoſpitium, leue eſt ſuſceptum periurium, vſitata res Oroeti. polluta fidei Religio, quotidianum. hoſtiliter accepti ſocij, vexati innocentes, ſpreta maieſtas rerum, aflicta & deformata dignitas, parua omnia & ferenda in hoc homine putĕtur quærat aliquis quid ad hæc potuit addere? cogitate ſcelus quam poteritis maximè nefarium: multo infra rei atrocitatem ſuſpicio ſubſidet. Quid enim in Innocentem & Regem homo ſocius conſulere tam infeſtum potuit? ſpoliauit? non eſt contentus prædâ libertatis pretiũ exegit? non eſt cupidus pecuniæ. Regem cecidit? flagitioſum: ſeruile eſt enim. verumtamen non hæc ſumma eſt. clam veneno ſuſtulit! nefarium id quidem: innocentem, inauditum, indemnatúmque: atrocius quidpiam molitus eſt. An percuſsit ferro? vtinam id quidem: ferremus, ſi feciſſet taciti, & humanè actum putaremus. Quid enim amplius diſsimulo aut cui me

reſeruo indignitati maiori? Luce, Iudices, & palam in frequentiſsimæ ciuitatis oculis. Seruile ad ignominiam, accerbiſsimum ad ſenſum, de fœderato atque amico Rege ſupplicium ſumit. conſtituitur in foro Magneſiæ inopinatum ſpectaculum & Luctuoſum toti Aſiæ. crux meridie iuſſu iſtius figitur in plateâ: expectantibuſque omnibus & ſciſcitantibus cui pararetur; producitur è carcere ſquallēs & deformatus poſt tergum reuinctis manibus Polycrates Rex Sami. fletus omnium & conclamatio tollitur. Quam inter à robuſtis huius carnificibus ſpoliatur & flagris conciditur, tum in funeſtam arborem fruſtra Deorum hominúmque qui uſpiam ſunt omnium fidem implorās agitur: ibidemque inter aſperos diuturnóſque cruciatus mortuus, feris inſepultus beſtiis auibusque obiicitur O acerbam deplorandámque Fortunam! O ſcelus incredibile! dicam enim, Iudice, ingenuè. Laborat in his quæ dico mea ipſius fides: ſenſuum indicia famęque conſtantiam ac teſtimonium cognitionis publicæ, atrocitate rei deterritus animus aſſenſione fruſtatur. Hoccine vt tam importunum tamque immane prodigiū Aſia terra tulerit? viſum ſit ſpecie hominis adeo cruentum animal & ſanguinarium? ad hunc rigorem tam ferreum humani pectoris mollities concreſcere potuerit? Atqui ſi quid eſt quidem certum inter homines, hoc eſt profecto, Iudices, huiuſmodi vt eſſe nemini dubium poſsit. ſubiecit præſens oculis ciuitas ampliſsima Magneſia, multa hominum millia viderunt. ſol hic ipſe teſtis eſt Deorum maximus, cuius nūmen conſpectúmque ſanctiſsimum non eſt veritus hic furcifer horrendo parricidio funeſtare. Itaque, ſi teſtes opus ſunt, affatim eſt teſtium quamquam inſtar eſſe multorum poteſt ipſe nefarius, idem qui author

ſandi verecundiam impreſſerit. quamquam quid ego dignitatem eius rei repeto cuius in perniciem vis graſſatur huius ſceleris? cum ipſe etiam innoxius aliena cautione ad cædem impetus, & ſanguinaria cupiditas ruentis iræ, à ſumma turpitudine, qua contaminari ſpecies humanitatis poſsit, nihil quidquam abeſſe videatur. Itaque ſapientiſsimos homines accepimus etiam in eos vim ſeueriſſimarum excitaſſe legum, quos excæcandis cornicibus, aut ejuſmodi aviculis configendis; cæterorumque brutorum etiam animalium facienda cæde, ſine modo & cum aliqua ſignificatione voluptatis conſtaret eſſe debacchatos. Adeò non ſæpius quid jure poſsit, quam quid ipſum deceat reputandum eſt homini, ad Naturæ divinæ beneficentiſsimæ ſimilitudinem nato. Tibi vero cujus feræ rabies, cuius Leonis Inflammatus furor iecur impurum accenderat ad hanc tam importunam tãque impotentem ſitim humani cruoris. Vſqueadeo te nihil communio naturæ nihil par mẽbrorũ conformatio, nihil illius, quẽ profundebas ſanguinis communis cum tuo permouebat color vt aliis offerenda morte tuæ mortalitatis non recordareris? rapiebas vndique & compilabas omnia, fana & profana vnum tibi & idem erant. jura, religiones, leges ſúſque à te déque habita. nihil vlla maieſtate ſanctitatis à tua ſe vmquam rapacitate vindicavit. nulla te pupilli miſericordia ab impudentia hæreditatis inuadendæ, nullus reſpectus beneficij ab inficiando debito, nullæ ſupplicis lacrymæ à vendenda ſententia, nulla Deorum hominũ ve cogitatio ab omni prædæ genere corradẽdo revocavit. Eſto ſane. tolerabile in te videatur. vtilitas tibi erat antiquior officio. erat quod ſequereris. igitur horum nihil in te accuſandũ puto. Cæde vero facienda quid conſequebaris? quod tibi lucrum ex

Cranapis morte? Quid cum veredarium parum læta nunciantem contrucidaſti: veſtem credo curſoris optaras, Quid tam multos alios gratis homo liberalis occidiſti. Non ne hoc declaras: te, quem improbitatis eſſe gradum extremum inter ſapientes conuenit, maleficio delectari. Dij te perdant dedecus noſtri generis, naturæ perduellis, cruenta bellua, monſtrum ex luto & cruore maceratum. tu cædem habeas in deliciis? tu fuſo humano ſanguine læteris? tu ludibundus & renidens animam profliges hominis in breuem tuum riſum? tanti tibi ſit huius tuæ ſanguinariæ voluptatis fructus, vt ad eum repræſentandum ne dynaſtarum quidem ſanguini parcendum ſit? Proh Dij Immortales quid dixi? quantum hoc auctarium hujus criminis? is per omnes gentes, maximè quæ in regno viuunt, jam ab omni eſt, Iudices, memoria peruagatus ſenſus; quos ſceptro inſignes & diademate Rebus moderandis publicis, Fortuna ſeu Numen quoddam maius præfecerit, faſtigium iam excedere humani captus, & vſurpatione aliqua Diuinitatis aſpergi. Itaque eos omnes ſummus Iupiter aſcribi ſibi filios non moleſtè fert: quòd eos non iam humilitate naturæ, ſed amplitudine poteſtatis æſtimet: Cuius totius rei quæ ſit vis atque officium, cum nuſquam eſt neceſſe diſpûtare pluribus, quod omnium id animis dudum occupauerit inculcare Natura, tum apud vos certe eſſet otioſum. quos inſtitutis patriis & legibus in unius veneratione Principis educatos, eoſdem quos Soli huic ſummo cæterſque diis Immortalibus, Regi quoque noſtro Magno adhibere honores video. Quantis igitur te furiis exagitari par eſt, Furcifer, qui gentium Inſtituta, ſcita populorum, leges ac mores Pàtriæ, autoritatem regni, majeſtatem ſummi Imperij numen Deorum tam contumaci ſcelere feralis parri-

cidij funeſtaris, vt cuj te iura omnia divinos honores habere iubebant, ei tu ſeruiles cruciatus, crucisque contumelioſum acerbiſsimumque ſupplicium obtuleris. Homo Polycrates erat. ſpreuit commendationem huius nominis tuus cruentus furor. Atqui Rex idem erat, hoc eſt mortalis quidam Deus, ne illud quidem te tenere, ſcelerate, ac ne vllam quidem extremi cruciatus dedecoriſque moram à tua præcipiti dementia potuit auferre. Sin tam inflammato rapiebaris odio, haurires cruorē & innocenti te ſanguine ingurgitares, dignitati parceres, à ludibrio temperares. Antiquiſsima eſt Iudices omnibus mortalibus vitæ tuendæ ratio atque cura: laudis vero ac decoris obtinendi tantò maior ſapientibus; Regibus certe maxima. Patiamur hoc ſane quod eſt à Fortuna comparatum, vt improborum ſceleri ſalus & caput noſtrū ad omnem accipiendæ cladis opportunitatem expoſitum ac paratum ſit. Verumtamen mors in eo ſit extremum, magnum eſt cadenti ſolatium ſtans adhuc gloria: cuius ſpecie ac contemplatione præſentis geſtientem & exultantem vidimus Regem Immortalis memoriæ Regni huius conditorem Cyrum, qui a Cadmæa illa Derbicum victoria voti compos moriens ex adverſo vulnere, triūphantis hilaritatem vultus in morte repræſentavit. Irruiſſes in imprudentem ex inſidiis Polycratem repentinus latro. oppreſsiſſes imparatum, in aliquo repugnandi apparatu interfeciſſes: ferenda clades fuerat. ſin ne inſidiis quidem fidebas ſatis, obtruncaſſes iam captum & vinctū ſecurus. Denique ſi ita volebas finem ignominiæ carcerem feciſſes. Nunc tu furia ſacro-ſanctum Regem, quem vel nutu violare parricidium, vincire vero ſacrilegium ſit, captum atque conſtrictum, proh Deum numen omnium! ex diro ſquallentem carcere ad ſer-

vilis mortis dedecus produxiſti ; productum in conſpectu Aſię denudaſti, excarnificaſti miſerum, & horrendos inter cruciatus morte lentâ confeciſti. Me miſerum quod in magno conquerendi impetu vox deficit atrocitate rei minor. Et adhuc hoc cœlum atque hanc lucem adſpectu tui oris, Portentum, inceſtas? Tibine tam ex ære ſolidum eſſe animum, conſcientiæ vt tanti mali ferendæ par ſit! perſtas adhuc, hæc audiens, & illa repetens, nec te aliquis perſtringit horror & percellit flamma illius tui criminis? At vos removete, Iudices, à conſpectu Solis huius Deorum ſummi tam abominandum caput. relegate tantum ſcelus à ſuſpicione approbationis veſtræ. placate commune odium nationum. Pervagata eſt hæc fama terrarum orbem. extitiſſe Perſam hominem qui nullum inter majeſtatem Regum & ſervorum humilitatem diſcrimen poneret. Aliqui etiam quibus perſpecta minus diſciplina noſtra eſt, à nobis id eſſe factum omnibus clamant: nullam jam in nobis partem eſſe humanitatis: nullum reſpectum juris jurandi. fides jam apud illos Perſica ludibrio proverbij traducitur. commoventur: conſpirant, coëunt, teſtantur vltores Deos. internecino in nos odio tantorum ſcelerum artifices, & propè iuſto, niſi maturè ſatis facimus, Iudices, conjurant. Vobis fama nominis & gentis protegenda eſt & hujus aſſerenda ſupplicio Phanatici. oſtendite diſplicere vobis quoque quod omnes offendit: neque hoc, impunitate perjurij veſtris ſententiis ſanciendâ, committite, vt à noſtrâ perfidia, ne iure quidem gentium tuta legatorum ſalus & principum fore putetur. Quod ſi quem infamia nihil moveret communis Patriæ vnius immeritò invidiâ flagrantis, cogitet quæ forma noſtræ Reip. ſit. Regem nos habere à quo non poteſtatem judicandi ſolum habe-

tis, Iudices, ſed præceptum etiam id ſeverè faciendi. Iam cogitate ſit ne in regno toleranda licentia violandorum Regum, debeát ne veſtræ elapſus Religioni, veſtris abſolutus judicijs, volitare homo perditus, exemplum cogitandi ſummi ſceleris, author invadendi. Obſiſtite jam iſthinc. occurrite dementiæ. providete, ſi quid Patriæ, ſi quid Principis causâ velle credi cupitis. Magno ſub Rege vivimus: intelligite per Deos, cujus rudimentum ſceleris facinoroſus Latro Regulo tollendo poſuerit. video tribunal, quo id ſtratum panno ſit. pelle diſſoluti judicis. magnum irritamentum ſeveritatis. Potes, Otanes, hanc omittetere vindicandi cauſam in infamiâ patriæ, Regis periculo; vt te paternæ cladis imago non terreat. Illud etiã cogitate læſum Deorum numen. grandes ab ijs clades in nos omnes impendere, ſi authores huius ſceleris parcendo fiamus. Quas, ſupplicio decernendo eo quem leges jubent, à veſtris noſtris que omnium cervicibus vnum in perditum & nefarium caput poteritis avertere. Te igitur rogamus, ſumme ſol, ſolito nos vt beneficio lucis dignandos tuæ velis. neque ob tanti affinitatẽ criminis noſtrâ neque conſciẽtiâ ſuſcepti, neque patiẽtiâ tolerati, ab vſurâ tuæ liberalitatis excludas. Te Regina Iuno Sami nata, in cœlis imperans, cujus alumnum Regem omni ſcelere mactavit homo vnus Perſa, ne gravius quidquam ideo in gentem vniverſam putes conſulendum. Luat hic vnus. exhauriat invidiam ſui facinoris. addicimus & devovemus hominem meritis pœnis: removemus à contagione generis nominiſque noſtri: Tum ſi quis eſt vſpiam Deorum alius quem hujus parricidij atrocitas concitat, vnius clade impuri capitis contentus, oramus, ſit: nobis reliquis religioſis & ſupplicibus pacem veniámque largiatur..

DIXI.

# ARGVMENTVM IN DVAS ſequentes Orationes Ex Maffæi Hiſt. Indic. lib. 1.

*CVm Luſitaniæ Rex Emanuël initio regni ſui convocatos magno numero ſapientiſſimos viros decernere iuſſiſſet, Ecquid videretur è re communi inſtitutas à Prioribus Regibus Orientem verſùs navigationes à ſe promoveri; qui primus ſententiam rogatus eſt, Vir nobilitate, ſapientiæ famâ, rebus geſtis, facundia clarus, in hunc fermè modum locutus dicitur.*

# ORATIO XI.

## DISSVASIO NAVIGATIONVM longinquarum.

NAvigationes longinquas improbaturus hodiernâ die ad diſputationem intelligo me neceſſariam magis quàm facilem aggredi. Neque vero tantum mihi ſumerem, Rex Maxime, vt profligatam iam popularibus præjudiciis cauſam agendam mihi, aut attingendam omninò putarem: niſi qui ad huius iudi-

ciùm Conſilij deferri de integro, de novo revocari voluiſti controverſiam veterem, hominum iam plauſibus & publici fauoris prærogatiua definitam; facto tuo demonſtraſſes, conſtantem licet opinionem vulgi ſuſpectam ſapientibus eſſe debere. Sequar autoritatem huius exempli: miniméque verebor ne quiſqua ex hoc graviſsimo Clariſſimorũ Procerũ cœtu miretur aut offendatur ſi in hoc Senatu nobiliſsimo orationem afferam ad plebeiorum hominum ſenſum, atque ad temeritatem ſtudiorũ multitudinis minus accõmodatam. Quamobrem adductus tua voluntate, Rex Maxime, fretus etiam æquitate huius Ampliſsimi Conſeſſûs, vtar in explicandâ meâ ſententiâ eâ libertate dicendi, quam & mea conſuetudo poſtulat, & rei magnitudo requirit; denique Patriæ caritas non exigit à me modo, ſed etiam flagitat.

Quid enim? per Deum Immortalem, non magna res agitur huius Imperij; non periclitatur huius Regni ſalus; non incolumitas, non dignitas noſtræ huius Reipublicæ navigationibus iſtis in apertum naufragij diſcrimen vocatur: cum ſumptus immanes ſine fructu profundantur, flos juuentutis eijciatur ex vrbibus, commeatus exportentur; id agatur neſcio quo fato per hos ipſos quod magno redemptum æmuli noſtri voluerint, vt adverſus Exterorum impetus infirmior in dies Luſitania reddatur.

Atenim magna inde commoda & reportantur & ſperantur. Primùm nego vllum emolumentum tanti æſtimari debere, vt eius cupiditate ſalus Reipublicæ negligatur: aut opes vllas quæ ſunt ornamenta pacis & tranquillitatis publicæ, periculo ſervitutis & ſupremæ calamitatis emi ſapienter poſſe. Deinde quæro vbinam tandem ſit ille fructus quem hactenus ex peregrinis commercijs

vetulimus. Anni ſunt fermè nonaginta ex quo fixos non à Majoribus ſolum noſtris, ſed penè ab ipſa rerum Natura terminos navigando prætervehi cepimus. Ex eo tempore propè quotannis claſſes inſanis molitionibus ſubſtruximus, militibus lectiſsimis, armis optimis inſtruximus, oneravimus opimis mercibus, in eas effudimus horrea noſtra, fructus & laborum & agrorum noſtrorum vndis commendavimus: ſi quid apud nos vel terra progenuerat ex ſeſe, vel commercium Exterorum comportaverat, id fluctibus omne concredidimus: quid inde vero? eaſdem opinor naves gemmis onuſtas & auro recepimus? Vos vero recordamini. Et ego meminiſſe ſine graviſsimo dolore non poſſum: cum cives noſtros pauciſsimos è multis, ſeminudos, macie & ſquallore deformatos, conquaſſatas & vacuas naves, aut ſi quando felicior curſus fuit, deterrimis Æthiopibus, mancipiorum famelicorum gregibus, & neſcio quibus palmarum foliis oneratas excepimus. En opes. En quæſtus. En quamobrem armis & commeatibus Luſitaniam ſpoliamus; & conculcandam Maurorum latrociniis, dedendam ambitioni Vicinorum Patriam dulciſsimam reliquimus hactenus. Et hactenus quidem. Nam ſi tam facilem ad animum tuũ quã ad aures tuas acceſſum orationi meæ tua Rex Optime benignitas & æquitas annuerit, valere profectò iubebimus in poſterum iſtum mercatum iniquiſsimum, per quem tanto detrimento abundantiam noſtram cum egeſtate peſtilentis Æthiopiæ commutamus.

Video quid hîc dicant aſtuti homines qui aliquod rerum ſuarum anguſtiis ſolatium in iſtis excurſionibus cum domi egeant repererunt. Quod genus etiam atque etiam precor, Rex ſapientiſsime, vt cautè diſcernas ab ijs qui verè & ex animo

dignitatem Imperij tui & ſplendorem Reipublicæ ſibi proponunt. Quid igitur ajunt inſtitores callidi quibus commodum videtur publicis ſumptibus negotia priuata conficere. nondum quidem ſatis dignum operæpretium tot molitionum extitiſſe. Video. ſed eſſe pauliſper expectandum: Audio. ſed tamen ego credideram nonaginta annorum ad ſpem futuri prouentûs idoneam moram eſſe. Addunt apertum iri propediem iter ad neſcio quas aurifodinas. Memini Bemoïnum quendam qui ſe Regem eſſe diceret, huc è domeſticis anguſtiis ac miſeriis, vt ipſe fatebatur, cum grege ſaltatorum (Ialophos vocabant) confugientem ea nobis verba dediſſe: quâ fide digna, ſatis oſtendit eventus. Quamquam & ipſa conditio Barbari extorris & miſeri proclivem oſtendebat ſuſpicionem hominis in calamitate ſua ſe commendare liberali mendacio cupientis. ſed & comitatus, levitas animi non minor quam corporis, fidem iam tum ſapientum retardabat. denique iſtius Reguli ſumma inopia facilè demonſtrabat eum ignoraſſe quæ ducit ad theſauros viam: & tantum non clamabat haud eſſe magnoperè expectandum vt ditaret alios qui ipſe eſſet egentiſsimus,

Sed audiamus cætera. Probare conantur acutè ſane ac ſubtiliter, ſi paulum noſtri homines annitantur vt tantillum ceptis adijciant, vniverſam ambiri Africam poſſe, & in Indiam vſque penetrari. Hîc vero etiam ſe jactant doctuli homines & rem totam radio deſcribunt in tabulâ; & ſi quando nos otioſos nanciſcuntur infinitis quibuſdam ſermonibus obruunt, vt, ſi quidem ipſis creditur, planius nihil expeditiuſque videatur. His ego, cum eos audire garrientes placet animi causâ, ſoleo interdum opponere: Mirum eſſe ab orbe condito extitiſſe qui rem tantam deprehenderit neminem.

Subarrogantius videri novos homines omnem retrò antiquitatem ignorantiæ & erroris inſimulare audere. Philoſophiam eſſe longius petitam ex cœli aſtrorumque ratione de terrarum tractibus, mariumque fretis judicare. Verumtamen equidem velim ita eſſe vt dicunt. & libenter concedo. credam etiam ſi vrgebunt. quid tum poſtea? Patebit noſtris claſsibus iter ad Indiam. Eſto. quid inde commodi Luſitaniæ? Opulentiſsimas eas eſſe regiones intelligo. de felicitate Arabiæ vnde iſtuc per ſinum Arabicum facilis commeatus eſt, inaudivi aliquid. de frugibus exquiſitis & vberibus Orientalis ſoli, de gemmis illorum tractuum, deque metallis aureæ Cherſoneſi non obſcura fama pervenit ad me quoque. Sed quid putatis? aperta ea deſertáque & expoſita cujuſcumque cupiditati occupantem præſtolari? quòd ſi ita haberet, quærendum tamen cenſerem, an eſſet è re communi noſtros homines in eas regiones dimittere quarum incredibilis vbertas oblivionem eis inducere Patriæ ac eos delinitos detinere magno Regni hujus non omnium numeroſiſsimi detrimento poſſet. Equidem Carthaginenſes memini me legere, quâ induſtriâ quâ prudentiâ viros in gubernandis & Civitatibus & Navibus! Carthaginēſes, inquam, aliquando comperiſſe; ſuorum aliquos ventorum impetu in longinquas oras antea incognitas ſed in primis fertiles fuiſſe delatos, quarum illecti felicitate non ſolum ipſi eò reverti decreviſſent, ſed alios etiam multos ad idem conſilium pertraherent. Qua de re cum relatum eſſet ad Concilium Procerum graviſsimo Senatus conſulto ſancitum fuiſſe, ne cuiquam omnino Cartaginenſium eò commeare qualibet ex causâ liceret. Intelligebant ſcilicet homines altâ quadam mente præditi, nihil non malorum metuendum eſſe deſertæ deſolatæ-

que Reipublicæ cujus cives alibi jucundius quam domi commorarentur. Eaſ neque florere, neque ad amplitudinem aſpirare vllam, ne retinere quidem dignitatem aut ſuſtinere ſe à lapſu poſſe. itaque omni eſſe cautione providendum ne ad levitatem & ſtudium novitatis ingeniis ad id natura pronis aut occaſio præberetur, aut concederetur impunitas. Cogendos eſſe Cives vt ſpes omnes ſuas limitibus & mœnibus vrbis ſuæ circumſcribant; cogitationes vniverſas ad ejus ſalutem gloriamque conferant; in Spartâ ſua exornanda amplificandáque omnem curam induſtriamque defigant. Id fieri nullo modo poſſe ſi ſemel multitudini perſuaſum ſit, dulcius alibi feliciuſque ſibi vivere licere. Hęc eadem ſi ego dicerem, ſperare merito poteram meam vobis me ſententiam, quæ veſtra eſt ęquitas prudentiáque, probaturum. Verumenimvero non eſt per Deum Immortalem huic jam orationi locus. Nego vllam earum regionum à noſtris Navarchis occupari; nimium id quidem eſt: attingi; excedit hoc quoque: ſed vel eminus poſſe conſpici. Cognoſcite Rex maxime voſque qui adeſtis in Conſilio infinitum errorem. India illa locuples, Arabia felix, quas nos jubent concupiſcere ſiderum iſti veſtigatores, ſunt vndecumque vallatæ caſtellis, munitæ arcibus, circumdatæ propugnaculis vrbium florentiſsimarum, cinctę claſsibus innumerarum navium: quorum nihil noſtri Mathematici ex ſtellarum diſcurſibus videlicet compererunt. Quam igitur in ſpem eò noſtros milites noſtras fruges deſtinabimus? niſi vt hæ cupidiſsimorum hominum condonentur avaritiæ; illi crudeliſsimorum hoſtium dedantur crudelitati. Tenent autem illa loca Iudæi fermè & Cultores Muhammedis. quo vtroque genere nihil tetrius, nihil immanius, nihil nomini noſtro, nihil ſacris noſtris

inimicius, vt inter omnes conſtat, fieri poteſt. Itaque nullum erit littus quo non arceamur, nulla inſula quo vel aquandi cauſa exſcendere tutum ſit. Nam portum vllum ne ſalutandi quidem procul poteſtas erit. alto ſemper mari cum tempeſtatibus inſanis & decumanis fluctibus ſine ſpe ſalutis vllâ dimicandum erit. ac ne ibi quidem avariſsimi ac pugnaciſsimi generis aut cupiditatem aut vim licebit effugere. Incurrent, irruent, involabunt Archipiratæ efferati rabie, inflammati cupiditate, amentes odio, Impetum facient in pauciſsimos innumeri; in fatigatos, recentes; centum triremibus in quamlibet è noſtris onerarijs invehentur. Naves noſtræ ter mille Leucarum curſu debilitatæ, iactatione pluſquam annuâ contuſæ, à fluctibus vehementiſsimis laceræ, à procellis frequentibus hiantes, tormenta videlicet & machinas firmiſsimarum claſsium lateribus illæſis excipient. Quid futurum ſit vos ipſi exiſtimatote quibus incumbit ne id accidat providere: & aliquando tandem intelligite quam immaniter hallucinentur noſtri Geômetræ qui averſuros ſe à Perſis atque ab Arabibus Orientalia commercia homines lepidi narrant. Hoc ſi Perſæ inaudiant ſi Arabes ſuſpicentur, non ſtatim quingentorum millium conſcribent exercitus; non claſſes bis mille majorum navium ædificabunt; non operient exercitibus littora & maria; quos omnes opinor apparatus parva noſtrorum militum & mercatorum manus quartodecimo demum menſe quam Olyſsipone ſolverit eò delata, diminuta peſtilentia, vix pedibus inſiſtens ex cœli intemperie, victûs difficultate, primo conſpectu difflabit? O diſſoluta conſilia! O perturbatæ rationes! Tu cum potentiſsimis nationibus eripere commercia velis, hoc eſt opes certiſsimas & veluti propriam hereditatem

extorquere, non cogites eas à te ad bellum atrociſsimum provocari? non oſtendas quo illud modo ſuſtineri, quo geri poſsit? non aſsignes locum quò receptus ſit: vnde expeditio comparari, auxilia evocari, conſilia peti poſsint. Cum pedem vbi ponas in toto Oriente non habeas; cum neſcias an eò penetrari poſsit; cum merito dubites adhuc an non Iſthmus aliquis Atlanticum ab Eoo dividat mare; an non, vt perenni fluxu mare hinc iſtuc commeet, Syrtes tamen, vel ſcopuli, vel belluæ, vel alia, vt fit alibi, mala prorſus intercludant tranſitum, non alioqui ab orbe condito intentatū relinquendū tamen à quinquies millenis milliaribus ferox bellum indicis vltimæ Aſiæ, Gentes potentiſsimas ex avitis ſedibus te exturbaturum minitaris: vtrum hæc tandem vobis cogitata ſapiētum, an optata furioſorum videntur.

Diffidere jamdudum videor tuæ ſapientiæ, Rex maximè, & nobiliſsimorum qui adſunt in conſilio Principum ingeniis qui res perſpicuas tot verbis explicem. Ego vero tametſi in longiorem quam voluiſſem ſermonem ſtudio fortaſsis elatus ſum, confirmare tamen poſſum, longè plura me navigationum longinquarum incommoda prętermiſiſſe quam commemoraverim. contrahere tamen in pauca rem licet & ſic breviſsimè colligere: nihil te magis ſalutare huic imperio poſſe decernere quam ſi ſevera lege ſancias: ne quis in poſterum vltra Chaunariæ caput nave provehi Luſitanus, aut exportare merces vllas è Luſitania poſsit.

DIXI.

*Huic ſimul peroravit, Vaſcus Gama vir fortis nec indiſertus ita reſpondit.*

# ORATIO XII.

## PRO NAVIGATIONIBVS Orientalibus.

DVABVS precipuè machinis navigationum Orientalium curſum à ſegnibus exordiis jam ſe paulò felicius incitantem retardare vir clariſsimus aut penitus abrumpere conatus eſt, autoritatis ſuæ gravitate & orationis copiâ, Rex maxime. Adverſus hanc vtramque molitionem vnum mihi quoddam propugnaculum cauſę que communi ſtatui circumdare, ad cuius robuſtiſsimam firmitatem & molem illam ſummæ gravitatis allidi collabíque & divinę illius eloquentię vires infringi neceſſe ſit atque impetum ſufflaminari. Cuius enim autoritas adverſus exempla Majorum? aut quæ tandem vis orationis adverſus eorundem conſulta & præjudicia valere poſsit; vel omnino ſubſiſtere. Quare nego primum omnium eſſe nobis integrum

vlla prorſus ratione, inſtitutas, approbatas, nonaginta ipſos annos frequentatas a Majoribus longinquas navigationes ſubitò deſerere niſi Patres noſtros temeritatis & inſaniæ: vel nos ipſos velimus levitatis atque ignaviæ damnare, quorum alterum illis ſine impietate nequimus impingere: alterum in nos ſuſcipere ſine ſummo dedecore non poſſumus.

Etenim, vt ab eo ducam initium quem recentiſſima memoria primum obiicit, quis ignorat quo impetu animi, quo ardore, qua conſtantia Navigationes longinquas complexus eſſet Rex Ioannes quem adhuc lugemus nuper extinctum; ac niſi tanti damni flagitium fortuna huius imperij, ſucceſſoris incredibili virtute compenſandum curaviſſet, numquam ſatis lugeremus. Erat enim in eo viro profectò divina mens quædam, ad amplitudinem nata indoles, incitatus impetus ad ſumma omnia, vis animi admirabilis, acumen ingenii maximum: jam religio in Deum ac ſuperos, amor in Patriam & cives cui nihil addi poſſet: vt inter omnes qui ipſum nouerant conſtaret; minimam laudum eius regiam eſſe dignitatem. Quid autem ab ea ſapientia tam alienum quam error? ab ea maturitate tam disjunctum quam temeritas? ab ea gravitate tam remotum quam levitas? quid vero tam procul adhorrens ab ea ſolicitudine qua ille verè paterna Reipublicæ ſaluti, tranquillitati, commodis, incrementis, ornamentis noctes & dies invigilabat quam expoliatio huius regni, projectio publicorum vectigalium, deditio Luſitaniæ ambitioni vicinorum, Expoſitio Patriæ Latrociniis Maurorum, Proditio noſtrum omnium? Quare fatebor equidem vix poteram eo dicente qui modo peroravit viro erudito mihique familiari diſſimulare moleſtiam meam, cum Regis optimi me-

moriæ minus deferri viderem quam mihi perſuaſeram omni iure deberi. Lædebat aures meas eius aſſuetas laudibus, exulcerabat animum tanti Principis veneratione pleniſsimum inopinata mihi & ſubdurior oratio qua illius Acta damnari, conſilia reprehendi ſane fidenter videbam. cum tamen ea dudum opinio menti meæ inſediſſet. quidquid à tali viro geſtum, quidquid ſuſceptum, quidquid approbatum eſſe conſtaret, id quin eſſet rectiſsimum nefas eſſe dubitare. Quid quod ante eum Rex Alphonſus Laudatiſsimus Princeps in eamdem navigationum promovendarum curam ſtudioſiſsimè incubuit nihil ne referre videbitur? Atqui ſi neque ſapientum conſulta ſapientes, neque Maiorum exempla Poſteros, neque Patrum res geſtæ filios, neque Principum ſtudia ſubditos movebunt; num repudiare divinam autoritatem homines audebimus; quæ cum in toto huius negotii decurſu non obſcuris ſe prodidit indiciis, tum in ipſis principiis apparuit manifeſtè cum Virum illum ſanctiſsimum Henricum regiæ ſtirpis decus, huius Imperii lumen, nocturnus è cœlo nuncius longinquas regiones vt navigationibus inquireret monuit, ita Deum velle iubere: nihil cœlo autore cunctaretur. Itaque & cœleſte auxilium noſtri homines in turbinum ac procellarum iactationibus, fluctuum & ſcopulorum periculis ſenſere non ſemel: & ipſa rei magnitudo declarat id quod ab hominum memoria ne tentandum quidem ſibi mortalium vlli arbitrati ſunt noſtris hiſce temporibus non ſine divino numine fuiſſe perfectum. Quocirca dum timet tantoperè vir ſapiens ne res ea perniciem creet huic Imperio ſupremam contra præceptum id quidem facit illius qui metuendũ autore bono quidquam eſſe non imperitè negabat. quamobrem ſpe-
ctra

ctra illa & larvas periculorum ad ſpeciem horroris tanto artificio deformatas ad ſonum huius vocis evaneſcere neceſſe eſt: etenim ſuadente Deo tam confidere tutum eſt, quam nefas dubitare. Igitur quod audiebatis de exinanitione ærarij, debilitatione huius regni, deſolatione vrbium, fuga civium, terrores panicos & metus pictos eſſe putatote.

Iam vero quod ſpem orientalis commercij & Indicæ navigationis tanto conatu laboravit adverſarius vt funditus everteret: quod quingentorum millium exercitus repentè conſcripſit, quod armavit ſubito bis mille magnarum navium claſſes; quod littora omnia lectiſsimis copiis, maria omnia navigiis inſtructiſsimis operuit; quale tandem illud ſit, cupio vos non ex oratione meâ, ſed ex graviſsimi & ſapientiſsimi viri certiſsimo teſtimonio cognoſcere. Etenim cum dies noctéſque Rex Ioannes animo & cogitatione agitaret; ecquâ ratione ex Æthiopiæ promontoriis explicari navigatio, porrigíque trans africum littus ac pertinere ad Aſiam poſſet, ſcitis ab eo certum hominem explorandi causâ notis iam & conſuetis itineribus per mediterraneum mare, Ægyptum, & Arabiam in eas regiones eſſe dimiſſum. cuius etiam accepit literas quibus doceretur: Perpetuam ab Luſitania in Indiam navigationem rem eſſe haud adeo difficilem. Se Orientali Africæ littore otiosè peragrato, non obſcurâ incolarum famâ, multiſque indicijs comperiſſe cum maris tractum ad poſtremò detectum à noſtris Bonæ ſpei caput pertinere. quod ſi ſemel ſuperetur confectam rem fore: neque impedimentum obſtare aliud vel periculum videri. Vniverſa pervagatâ Indiâ Oculatum ſe teſtem confirmare plus multo ibi divitiarum temerè expoſitum extare quam aut fama celebra-

verit, aut hominum adhuc cogitatio ſuſpicata ſit. A varijs dynaſtis eas obtineri regiones quos amicitia & ſocietate comprehendere pronæ ſpei nec laborioſæ operæ negotium ſit. Quibuſcum vel ſi etiam decertandum eſſet, nihil magnoperè metuendum. Imbelles eſſe gentes mercaturæ aſſuetiores quam militiæ. ad hæc baliſtis tantum & ſagittis armatas; nullo ſulphurati pulveris, aut fiſtularum ex ære vel tormentorum uſu: quorum ſolo tonitru propter novitatem molle ac delicijs innutritum genus averti in fugam poſsit. Quid plura? Per Deum atque homines pergeret: neque in curſu tam præclaro temerè inſiſtendum putaret. Néve ſuum nomen ea gloria, ſuum regnum ijs opibus defraudatum vellet. Audiſtis orationem diſcrepantem à triſtibus atque horribilibus denunciationibus Adverſarij, qui illorum veterum exploratorum exemplo nos ab uberrimæ regionis perquiſitione, imo poſſeſsione, ad quam Deus non obſcurè nos vocat, ambitioſis comminationibus & exaggeratis in formidoloſam ſpeciem periculis conatur avertere. Quamquam explorator hic quidem non eſt qui cum è Luſitania pedem non extulerit, de remotiſsimarum gentium moribus, ferocitate, potentia, coniecturas, ſuſpiciones, ac quod pace tanti viri dixerim mera ſomnia comminiſcitur. Cuius quoniam mihi æquitas & ſapientia nota perſpectaque eſt, eiuſdem ipſius volo eſſe iudicium vtri fidem potius adhibere debeamus: eíne qui à ſe ipſo excogitata aut ab incertis autoribus accepta commemorat: an Covillanio ſapientiſsimo fortiſsimóque viro, qui Oriente Regis iuſſu perluſtrato, indicum mare non ſemel emenſus, explorata, teſtata, vſurpata oculis, indubitata certa, eáque tuta & læta omnia locuples teſtis, autor undecumque idoneus refert? Hîc vero mihi com-

pellandus es, Rex Maxime, quem non magis tua virtus quam noſtra felicitas in ſumma huius imperii ſede collocavit, tamquam in quadam ſpecula, ex qua non ſolum totius orbis oculis & admirationi conſpicuus emineres, ſed etiam omnem in partem circumſpiceres, ne qua nos ſpes amplificandi huius imperii, opportunitas rei bene gerendæ, occaſio laudis, ſeges gloriæ præteriret. Quæ vides profecto quam omnia conveniant vna in re qua de agimus operæ non arduæ, emolumenti maximi, laudis immenſæ, maiorum exemplis, Superum oraculis commendatiſsima ex quibus ſtatuere te decet quam acri ſtudio in eam fovendam & promovendam incumbendum ſit. Hoc à te ſuo quodam iure ſuaviſsimi Patruelis expoſcit memoria. Hoc ipſum flagitat Sceptrum illud nuper illius nunc tuum: Diadema vero tantum non clamat; non ſe ſolum in tuum ius ſucceſsione tranſiiſſe. Eius viri è cuius capite in tuam frontem immigrarit curas, cogitationes, ſtudia, conſilia te par eſſe ſimul cum hereditate cernere. Sedes autem illa ipſa muta quæ orbata maieſtate tanti Principis ſuæ parem iacturæ conſolationem in tuo complexu reperit, non te alloquitur, cohortatur, conteſtatur, obſecrat ſibi ut ſerves hunc honorem in quem tam generoſis auſis Rex eam Ioannes extulerat? Te Chriſtianus orbis plenus gloria Luſitani nominis his navigationibus parta intuetur univerſus intentus ad ſtatuendum vna ex iſta re, num Priorum Regum locum tantum, non etiam virtutes aſſecutus ſis. Recordatur quanto gaudio, quam effuſa gratulatione his annis audiverit, Luſitan rum opera manſuefactam barbariem, revocatas à ſuperſtitione nationes, ſolemnibus myſteriis initiatos Reges, Populos integros Eccleſiæ Catholicæ & Romani Pontificis adiunctos ditioni,

Tanta felicitas vt emanet longius, vt ulterius propagetur & cupit & expectat, & expoſcit à nobis Europa: cui ad tam præclarum facinus ſolertiam induſtriamque noſtram Maiores noſtri dudum oppigneraverunt. Quos equidem audire clamantes atque increpantes videor: ubertatem fertilis Arabiæ, aurum divitis Cherſoneſi, feracitatem Indiæ ſolum minus idoneum excipiendis cœleſtis doctrinæ ſatibus non eſſe quam Ialophorum vaſtitatem, Guineæ ſitim, Congi Peſtilentiam, quibus tamen in locis ſuis ipſorum irrigata ſudoribus Crux & Fides feliciter increverit. Ne hoc quidem tibi negligendum eſſe tua te ſatis prudentia commonet: nihil Caſtellanum votis optare maioribus, quam ut ſibi maris utriuſque poſſeſsionem vltrò relinquas, de cuius parte tanta contentione cum Ioanne concertavit. Et ille quidem inſtat nnnc operi. Claſſes inſtruit Hiſpali. Columbo duce novæ in dies Inſulæ, noua regna deteguntur. Occidentem iam totum ſpe Fernandus & cupiditate comprehendit; Orientem oblatum divinitus deſeret, abijciet, aſpernabitur Emmanuel? Quin potius arripe omen huius nominis: Nobiſcum eſt Deus. Is ſive autor eſt ardui conſilij nihil cunctandum: ſive Dux itineris periculoſi nihil timendum eſt. Erige animum in generoſam ſpem. Nihil te minus in his regni primordiis quam felicitatē Salomonis cogitare par eſt: qui Rex cum & Sapientiſsimus & ditiſsimus fuerit, alterum nactus Dei dono, alterum longinquis navigationibus conſecutus: Tu qui conſimili Dei beneficio ſapientia cumulatus es, vide etiam atque etiam ne alteram illam partem tibi ſinas extorqueri.

DIXI.

# ORATIO XIII.

## NON EFFEMINARI homines literis.

*Pronunciata Toloſæ in Panegyri literariâ A. D. XV Kal. Novemb.* *An.* CIↃIↃCXXXVI.

QVEM in dicendi principiis verecundum timorem, teſtem pudoris, indicem modeſtiæ, Oratores præ ſe ferre vel exercitatiſsimi ſolent; eum cum in iſtâ novitate rerum omnium, in hoc inſolito mihi loco dicendi, hoc inuſitato conſpectu Ampliſsimi Senatus, hoc concurſu florentiſsimæ Civitatis, natura mihi multò majorem mea & multiplicatum admovet; tum hujus actionis meæ, quæ timiditatis dedecus à Literarum profeſsione removendum ſuſcipit, ea ratio eſt, vt iſti vel officio impoſitæ, vel naturâ excitatæ, vel tempore oblatæ perturbationi me ſuccumbere prohibeat. Quis enim non videt quam ineptum ſit, poſſeſsionem ſibi vindicare fortitudinis tremulum & conſterna-

tum Actorem? quámque parum deceat, quam oratione propugnem cauſam, vultu habitúque corporis atque oris prodere? Quare quantumvis non modo difficile, ſed impudens etiam videatur, ad tantæ veſtræ Gravitatis ſpeciem non commoveri; ſuſtentandus tamen vtique, erigenduſque mihi eſt animus; nedum ad iſtã humilitatẽ pavoris cum certo cauſæ incommodo demittendus: ne forte dum Præſidentis appellationem atque notam fugio, tantò deformiorem maculam Prævaricatoris contraham.

Atque ego dum me colligo: dum me ipſe circumſpicio: dum quis, apud quos, quo tempore, quam cauſam agam cogito; facilè intelligo, quantum fiduciæ poſsit ille ſibi ſumere, qui cum pro ijs apud quos dicit cauſam agat, eoſdem & defendẽdos reos & exorandos habeat judices. Quos enim hic, quos video? Quis hic ordo? quis conſeſſus? quæ Majeſtas graviſsimi concilij? Quorum denique mihi aures patent, me oculi legunt? quorum me ſplendor admiratione, dignitas veneratione defigit? Quinam iſti quinam tandem ſunt? Tutores publici juris, legum ſanctiſsimarum arbitri, Participes ſupremæ poteſtatis, Reipublicæ cuſtodes, Patriæ Patres: vera omnia non minus quàm ampla: at hæc aptiora meo tempori. Literarum cupidiſsimi, ſtudiorum Liberalium ſtudioſiſsimi, Doctrinarum amantiſsimi; ijdem ſcientiis longè omnibus excultiſsimi, artiumque optimarum omnium cognitione principes, profeſsione etiam autores. Quo equidem magis miror, auſos eſſe certos homines turpiſsimo convitio timiditatis deformare Literatorum Gentem vniverſam, cujus vos non minus quam civitatis principes eſſe meminiſſent. Sed fruſtra nimirum ab iſtis reſpectum officij, cogitationem vere-

cundiæ, metum majeſtatis poſtulemus. cum audacibus quibuſdam, projectis atque attritis negotium eſt nobis, quorum antequam inſultationes quotidianas illas ſordidiſsimæ dicacitatis, quâ noſtro omniū illudunt nomini, recordamur, facite vt deſcriptionem ſectæ totius vniverſam quampiam cogitationibus informetis.

Genus eſt agreſte incultum aſperum irritabilis & toroſæ juventutis, inurbanum domi, militiæ fugax, Parentibus impium, Magiſtratibus contumax, perfidum Patriæ, humilibus minax, fortibus inſidioſum. incommoda importuna vehemens natio, in vrbe Luxurioſorum, graſſatorum in ſylvis. ære demerſi, conſtricti judiciis, attoniti conſcientiâ, Pacis hoſtes, Proditores publicarum rerum, privatarum fures, ſuarum decoctores, raptores alienarum, novarum cupidi. valentes & corpulenti gladiatores, doctrinæ omnis, cogitationis, conſideratæ rationis, mentis, conſilij, conſtantiæ, naturæ quodam importunæ perpetuo judicio contemptores. qui ſimul belli rumor increpuit aures & ſpes erigunt. prædari ſuo periculo deſinunt velle. purpuram exanguem illam ſuam precariæ nobilitatis vnicam teſtem, refricant longa jam pace exoleſcentem atque interpolant: è Sylvarum emergunt faucibus. autoramentum Latrocinij in ſacramento militiæ ſeſe putant reperiſſe. velitant toto foro, minas circumferunt: & cum in hoſpitalibus menſis temulenti thraſones de præteritis palmis inſolentiſsimè gloriati ſunt, tum protervis quibuſdam & petulantibus jocis, non enim dicam ſalſis, imo impuris obſcœniſque convitiis in noſtram hanc triſtem atque horridam, vt appellant, hoc eſt, modeſtam & ſobriam vitæ conſuetudinem inter vina debacchantur. Ecquis iſtos (inquiunt) nauci faciat ſemiviros muliebris ſapientiæ myſtas;

& neſcio cujus græculæ Philoſophiæ, tamquam illos, quos ipſi ajunt, Penelopes effœminatos & vmbratiles procos? ſuis-ne illi nos rugis item ac nugis anilibus, & quæſita illa macie, illa aurigine collapſæ externatęque faciei: an truci illo ac ſevero, quo miſeram inventutem faſcinant, faſtidioſi oculi contuitu terreri nos putāt poſſe; qui ſi noſtrum duos modo ſimiles extra hanc vrbis frequentiam in ſylva adverſos videant, diſpeream ni toto ſtatim corpore cohorreſcant. Nunc quam ſeverè his muris, his viris, his præſidiis freti de ſui diſsimilibus pronunciant? vidi equidem adducta ſupercilia contractaſque frontes ſeſsitantium in judiciis, noſtróſque familiares vna vocula jugulantium, quorum ſeducti paulò ne conjectum quidem oculorum, nutumque ipſum, vt non dicam impetum, ſuſtinerent. Atque ijdem quis non rideat cum ſę magno præditos animo volunt credi: qui cum plerique omnes metu ſemper palleant, hac vti excuſatione ſolent; tamquam à Chartis & à vigiliis, non à pavore pallerent. Sed prodit ſe videlicet atque invitis excidit illa infirmitas, quoties ad fulgorem diſtricti forte gladij perculſi connivent, aut ad repentinum æneæ bombum fiſtulæ cum riſu omnium contremiſcunt. Quid illam ipſam à Zona diffluentem & ad talos vſque profuſam veſtis luxuriem muliebris eſſe tum conſuetudinis tum perſonæ quis ignorat? Atqui illa res eſt quam iſti tam propriam Diſciplinæ ſuæ propè quā ſupercilium exiſtimant: vt femineam, hoc eſt mollem, imbecillam, & meticuloſam eam omnem eſſe ſectam ipſa eorum videatur profeſsionis index veſtis confiteri. quò minus ferrem equidem moleſtè, educandis eos pueris (quod ipſum femineæ occupationis eſt) tantoperè delectari; niſi cum incredibili Reipublicæ damno ſua illa odioſiſsima

triſtitia præceptorum & literarum omnes in ætate tenera elegantis indolis igniculos extinguerent. Nam tametſi nihil eſſe præſtabilius militari laude vel iſti ipſi de gurguſtiis fuliginoſi Sapientes agnoſcant & prædicent, iidem tamen ita miſeram iuventutem opprimunt, vt ne ad vllam quidam eius gloriæ cogitationem aſſurgere vmquam poſsit. ita ſervilium ſuppliciorum metu, ſtomachoſa imperandi triſtitia, ſuperba obiurgandi ſeveritate, animis duri mollibus, infirmis vehementes, atque atroci gravitate intolerabiles inſtant, aſsiduéque incumbunt. non tollere oculos miſeris, non manum iniuſſu commovere, non pedem, non hiſcere demum licet: quibus ſcilicet rebus ad ſaxeam quidvis perpetiendi duritiem, qua nihil abiectius, obſtupeſcunt. Quorum quis vmquam defendet Patriam? Quis Principem oppoſitu proteget lateris? quis imperium proferet? Quis ſigna inferet, manum conſeret? Quis adverſæ cicatricis decus; quis ſpreti gloriam periculi; quis victoriam cogitabit? Quis inquam vel iſtorum de Lycei pulvere triſtium, vel de vrbis ac fori otio mollium; valetudini ſæpius quam clienti caventium; rumuſculos vndique ad providendam periculi fugam aucupantium; pericula non fugientium modo, ſed etiam fingentium? Eant iam & ſuos illos quorum ſe potu furere gloriantur Muſarum fontes celebrent, quos illius ego ſalmacidis viros effœminantis efficacia ſimiles video: numquam efficient vt cum noſtro Marte comparanda Pallas videatur: quam vt eiectam dudum cuperem ex omni congregatione hominum cum adeo pernicioſa publicæ rei ſit: ita mirari profectò non poſſum ſatis; indignari certè ſoleo vehementius; dominari etiamnum illam & florere: adeóque in magnatum gratia in plebis prædicatione verſari.

ac precellentium decus per acerbitatis cuiusvis; mortiſque adeo, pericula ſequentis; quis hanc eſſe naturam literarum neſcit, mirabiliter vt excitent admonitum originis ſuæ humanum animum, eſque cum ad omnis honeſtatis cogitationem facultatem ſummam offerant, tum contemnendæ mortis, & immortalitatis, adeundis periculis, magniſque rebus invadendis affectandæ, conſilia ſubinde ac rationes inſpirent.

Quare iſtos ego Homines interrogarim equidem, caſtris-ne an Lyceis potius certam eſſe putent ad Sapientiam viam? Lyceis opinor dicent ac meditatione doctrinarum. At eius certè ſapientiæ quæ contentione iſta ſtudiorum petitur eam iamdudum omnes vim eſſe voluerunt, vt ferro etiam ac facibus, tormentiſque admotis omnibus, nihil tamen moveatur. at qui ſemel ea ſit munitus animus, tanto ſe ſuſtineat ſubnixus robore invictæ conſtantię, vt vel ſi fractus illabatur æther, inter ipſas integer ruinas atque impavidus exiſtat tamen. Quod ſi adhuc dubitant, quæram ſanè, ecqua vmquam ſtipendia fecerit Athanaſius; is quem ſcimus ex Alexandrino Theologiæ gymnaſio ducem productum Catholicarum partium, adverſus armatum contra terrarum orbem atque Imperatores Romanos quatuor, quadraginta totos annos continuato prælio ſolum & inermem pro veritate debellaſſe? Quid ille alter Valente Imperatore, ſuccincto licet exercitibus, vnus tamen & nudus homo valentior Baſilius, cuius totam vitam occuparunt literæ, quod militandi habuit otium? Vtrum nondum intelligitis, an adhuc diſsimulatis? in obtinenda æquitate animi, in officio ſequendo, in ſpernendo periculo, in ſuperanda invidia, in Improborum odio atque inſidiis contemnendis, in his inquam atque eiuſmodi tot ac tantis vitę fluctibus

animi præſentiâ conſtantiáque perrumpendis puppim ac proram facere meditationem doctrinarum liberali comparatam inſtitutione juventutis? Quâ felicitate ſi caruiſſent, nunquam neque Nazianzenus Conſtantinopoli Gregorius, neque Mediolani Ambroſius, populorum ac Regum minas contempſiſſent; neque Antiochenus in exilio Chryſoſtomus tam ferreum ſe habere in tolerando pectus, quam auream in loquendo linguam comprobaſſet, nec denique vel Romanus Pontifex in Italiâ Leo, vel Trecenſis in Galliâ Lupus inflammatas victoriis & crudelitate copias Attilæ; ipſumque adeo Tyrannum longè teterrimum, autoritate orationis graviſsimæ terruiſſent.

Verumtamen quid opus eſt eruditæ & togatæ fortitudinis tanto ex intervallo documenta repetere præſente Te, Princeps Senatus Illuſtriſsime, qui vnus inſtar eſſe omnium facilè potes? Quid Tu enim cum Miniſter Principis curas Rempublicam, communem ſalutem expedis, Perditorum conſilia detegis, profers, opprimis; dum inſidiis, ſapientiam; audaciæ, ſeveritatem; Impiorum conjurationi, bonorum conſenſum; novis Catilinis Te alterum opponis Tullium; non túte ſentis, non oſtendis in his omnibus quam cognata ſit doctrina generoſitati; quámque illius præſidiis hæc nitatur. Tu vero idem iterum, Voſque adeo quotquot adeſtis omnes Iudices Graviſsimi, cum dicendo jure obrepentem in fraudem æquitatis reiicitis gratiam; comptam licet illam; & omnibus luxuriæ muneribus ad amorem, omni ſatellitio potentiæ ad terrorem ſubornatam: Laborem profecto exhauritis illi geminum quem primum omnium & maximum voluptate repudiandâ, virtute amplectendâ, exhantlaſſe in biuio Hercules dicitur. vni vt vos ſufficere ad aſſerendam fidem judicio veteri doctorum Hominum videamini, qui cum

veſtræ Iuſtitiæ Gladium fortitudinis inſtrumentum & indicem tribuerent, timoris inſigne Clypeum negarent, quem ne Mars quidem reſpuit, hoc ſignificare credo voluerunt: plus aliquantò etiam in æquo Iudice veræ generoſitatis quam in Belli duce reperiri. Itaque, quod ad me attinet, confecta cauſa eſt. perorare jam hinc poſſum. An non enim ratione ad omnem hoc confirmatum certitudinem eſt; an non idem exemplis illuſtriſsimis demonſtratum: miram eſſe Literarum quandam, multóque arctiſsimam cum verâ fortitudine Societatem?

Sed reclamant adhuc iſti. temeritatem contumacia roborant, minas victi non manus offerunt, rem ad arma rapiunt, ad militiam provocant. ea nempe in vna cerni generoſitatem illuſtris animi contendunt. ei autem literarum otium adverſarium eſſe maximè. Quid faciam? deſcendam ad iſtam iniquitatem. hanc iacturam cauſæ iuriſque perferam. Age. ſequor quo trahitis. Quam igitur partem criminamini literarum à bellorum gerendorum rationibus abhorrere? An Poëticam: qua iuventutem Lacedæmonii ſuam ad virtutem legendis Tyrtæi carminibus comparabant? An Rhetoricam: cuius vſum ita neceſſarium, ita frequentem Omnes Hiſtorici Ducibus faciunt, ut ne cauſidici quidem ſæpius perorent? An Philoſophiam: cuius opus eſſe aiunt ad mortis contemptum corroborare animum, qua ſine inductione animi miles eſſe nullus poteſt? An Matheſin: cuius cognitio ad inſtruendas acies, munienda caſtra, cæteraſque opportunitates bellorum neceſſaria putatur? An denique Hiſtoriam: quæ cum omnis prudentiæ, tum militaris præcipuè mater eſſe dicitur? O criminationem exteſcendam! quæ prima ipſa mentione concidat; & omnium conſenſione refutetur. Inimicæ militaris laudis literæ,

Quippe ille literarum autor, ut putatur, Palamedes, non dux idem fortiſsimus Homero teſte fuit? Timidus opinor quidam & parcens cuticulæ Phthius ille vel Lariſſæus Achilles fuerat. Itaque primas inter Græcos fortitudinis puer imbellis tulit; & longè omnium fortiſsimum ignavus homo ſuperavit Hectorem. illum enim Pædagogus Chiron literis & præceptis effeminaverat. O Solones, Themiſtocles, Pericles, & univerſas, ut verbo dicam, Athenas, armatæ non minus quam doctæ ſtudioſas Palladis: vos-ne huius ignaras ſapientiæ curam Marti atque Muſis contentionemque ſtultè diviſiſſe! quid iam reliquam appellem eiuſdem inſtituti æmulam Græciam; cui vereor ne non patrocinari ſuæ famæ præiudicium eò vſque poſsit, vt noſtris hiſce Barbaris non deliraſſe videatur. Debueras te in Philoſophia tenere Xenophon. Nunc homo non expeditionibus minus quam diſputationibus clarus, vide ne iſtis iudicibus glorioſiſsimus ille receptus ex Aſia, omnium licet dilaudatus ore gentium, fugæ tibi afferat ignominiam. Tuam fidem Cato Cenſor, cur tu ſummus in iuventute Rhetor, in ſenectute ſcriptor, tantus vir in bello eſſe voluiſti! Apage monſtrum amphibium, domi Philoſophum, militiæ fulmen, Scipionem, exemplum incommodum Adverſariis: quorum etiam faſtidiis iam concedam omnem Romani nominis mentionem aſpernantium. Ergo de nullo hic Fabricio, in vrbe Diogene, in Caſtris Alexandro; de nullo hic Camillo, altero Hercule, facundia Gallico, fortitudine Græco, Nihil de prius eloquentiæ quam Reipublicæ Rege Cæſare, nihil de innumerabilibus aliis: ne de Mithridate quidem illo commemorabo Pontico, quem finge diſertiſsimum tres & viginti quas callebat linguæ; bellicoſiſsimum vero anni quinque & quadragin-

ra contra Romanos rerum Dominos continuati belli declararunt. Nec Cyro Perſa, nec Philippo aut Alexandro Macedonibus, nec Timoleonte corinthio, nec Agathocle aut Gelone ſiculis abutar. tametſi omnes omnium judicio belli paciſque illuſtres artibus parem doctrinæ virtutiſque bellicæ gloriam tulerint. Galli ſumus, habitemus in hoc nomine. reducamus in Patriam peregrinantem orationem. An non hæc Scriptorum literarumque vna omnium vox eſt: Celtarum veterum fortitudini par nihil reperiri, nihil ſecundum poſſe? At qui hoc ſcriptores, quæ literæ tradunt? Teſtes-ne domo productæ Gallicæ Hiſtoriæ? vtinam quidam extarent aliquæ: & vel illis noſtris ſua Philoſophandi ratio ſcribendi conſuetudinem; vel continua occupatio id factitandi otium; vel fortuna vitam ſcriptis immortalitatemque tribuiſſet. Eſſet quod puderet jactatores Græculos, in tantâ loquacitate, paupertatis ſuæ; qui cum ad verborum apparatum etiam mentiendi licentiam adiunxerint, facere vix tamen poſſunt vt illa ipſa omnibus fucata artis coloribus digna ſæculorum luce videantur. Vnde igitur habemus Gallorum Gloriam? ab ipsâ, quod graviſſimum eſt & à ſuſpicione gratiæ remotiſsimum, victarum confeſsione gentium. Græcia illa minax Gallorum armis afflicta, profligata, conculcata eſt. quinam teſtes? Græci. ſtomachabundi illi quidem & inviti, ſed tamen teſtes. Vniverſam quam latè patet ſubegerunt Aſiam Galli. Quis autor? Polybius Megalopolitanus, Strabo Amaſenus, Pauſanias Cæſarienſis. Quis horum noſter? Vaſtata Italia, oppugnata, expugnata, deleta à Gallis Roma, redempum Capitolium. Num quis id Divitiacus aut Orgentorix vel de Druydarũ contubernio ſcriptor Heduus prodidit? vnde

cladem Allienſem illam; vnde damnatã & nefaſtã diem; vnde non ſuorum robore, ſed anſerũ clangore tutum à noſtris annis in arce ſua ſtatorem Iovem; vnde inquam illa ad Gallorum gloriam tam ampla tam illuſtria didicimus? nempe ab iiſdem qui excıſam Numantiam, incenſam Cartaginem, domitum Antiochum, triumphatum Perſen celebrarunt. quamquam vt tacerent illi, non taceret fama. non ſileret memoria Gentium. conſenſus ſæculorum ætatũque loqueretur. Teſtarentur æterno gelu intractabiles vertices Alpium quinquies ſe ab armatis Gallis ante Annibalem eſſe ſuperatos. Quererentur Hiſpaniæ atque Britannia nec interjecta Oceani freta, nec extructos in cœlum vſque altiſsimorum aggeres montium, Gallorum invictum impetum ſiſtere, ne retardare quidem, potuiſſe. Clamaret denique omnis Aſia, omneſque Orientis Reges ac Principes, nulla ſe fere vmquam ſine Gallorum auxiliaribus copiis aut inferre auſos eſſe aut propulſare bella potuiſſe. Quod qui audiat intelliget credo facilè, in quantâ occupatione vitæ, quam aſsiduâ meditatione bellicarum artium verſari eos oportuerit, qui res tantas tam latè diſperſas, toto terrarum orbe, vno tempore vnus populus gererent. Quod ſi eoſdem conſiſterit addictiſsimos doctrinarum ſtudiis, excultiſsimos literis fuiſſe, erit ne cur adhuc penes alicujus animum illa ſuſpicio reſideat: revocari atque impediri liberalibus ſtudiis à militari fortitudine juventutem? Id vero nihilò teſtatum minus, ſi replicemus monumenta veterum, reperiemus: clariores etiam, ſi fieri poteſt, ſcientiis quam victoriis ab omni evo Gallos extitiſſe. Magnus hic campus, Rhetorique marathonius: ſed mihi cui viæ plurimum, diei ſupereſt parum, quaſi curſim pervolandus. Igitur vt nihil dicam de Philo-

ſophia

ſophiâ cuius originem à Semnotheis Saronibuſque Gallis eſſe repetendam ne Græci quidem ipſi diſſimulant. vt Mathematicas præteream, quas ab eiſdem eſſe factitatas certum eſt: excogitatas & illuſtratas veriſimile; vt Medicinam taceam quâ Veteres excelluiſſe Druydas teſtatiſsimum habetur; vt Poëticam diſsimulem quam ante Muſæos etiam & Orpheos Bardos in Gallia Longoneſque conſtat celebraſſe. vt denique vno verbo tranſigam id quod multis poſſet confici aliquot ante ſæculis quam illi ſeptem fierent in Græciâ ſapientes floruiſſe vel ſexcentos in Galliis. Illud quidem certe cum hanc perſonam geram omittere non debeo: dicendi artem non cultam, ſed ceptam: non factitatam, ſed excogitatam: non ornatam, ſed inventam, non in vno genere conſumptam, ſed omnibus ſuis partibus explicatam: non ad certum tempus adſcitam, ſed perpetuò conſervatam frequentatam auctam a Gallis in Gallia per Gallos eſſe. Declarat hoc ille victor animorum mendaci illo aliquanto prior græculo Mercurio Gallus Hercules. declarant ipſius Ciceronis in eloquentia præceptores eiuſdem confeſsione dicendi magiſtri peritiſsimi Galli homines duo L. Plotius & Antonius Gnipho, quem poſtremum ita ille mirabatur, vt etiam iam perfectus in dicendo, cum eſſet Romæ Prætor, Suetonio teſte, homo Romanus & Cicero ei Gallo dare operã dondubitaverit. Declarat denique (vt infiniti argumẽti finẽ in principio repræſentẽ) teſtimoniũ omniũ graviſsimum viri doctiſsimi ſanctiſsimique, neque eius ſi quid id intereſt Galli, divi Hieronymi cuius illa notiſsima ſententia eſt Galliam ſemper viris eloquentiſsimis fortiſsimiſque floruiſſe. cui etiam tanto antiquiorem illum Catonem ſuccenturiabo cenſorium cuius ex Originũ qui perierunt libris, hanc Soſipater laciniam

aureolam repræſentat: *pleramque Galliam duas res induſtrioſiſsimè perſecutam, rem militarem & argute loqui.*

Vbinam igitur illi iam ſunt qui natura conciliatam conjunctionem dirimunt? diſcordias Martem inter & Palladem ſerunt? qui vim a conſilio. rationem ab impetu. mentem a corpore divellunt? fruſtra nimirum iſti ſunt. vna enim vna profecto eſt præcellentis gloriæ quæ mentes excelſas rapit amplitudo. eadem & præliorum & ſtudiorum eſt præmium. An igitur quæ eodem tendunt comites non ſint? an quarum in vultu lineamenta cernuntur eadem, ſorores eæ non putentur? actuoſa eſt & ſtrenua vita militaris. quid literata quam non otioſa? Pervigilatur in caſtris. quid in muſeis? Pulvis utrobique: illic cruentus, iſthic eruditus: decorus & glorioſus vtrobique. bellis vt ajunt pax quæritur. ſtudiis veritas; duæ germanæ oſculoque illę (vt ſacris traditur paginis) amiciſsimo conjūctę a diſcordibus non peterētur. Scribunt docti res geſtas. gerunt ſcribendas armati. pulcrū commerciū. Immortalitatem hi merentur, illi tribuunt. quam rectè convenit. Illi ferociam rebellium. Iſti pervicaciam loquacium frangunt. audaciam iſti factioſorum, inſolentiam illi reprimunt impudentium. quid non ſimile? Patriam vni defendunt, exornant alteri: quid contrarium? denique videte quam concordes eſſe Reges Martem & Apollinem oporteat quibus vna ſit laurus, hoc eſt corona, communis. At diverſa ſunt tempora. credo. ne Pollux quidem ſimul lucet cum Caſtore. Cæterum in hoc ipſo vt ſibi cedant; vt ſibi mutuo conſentiant, attendite. Mollis præſertim ad literas & docilis pueritia. num eam ſibi militia vindicat? num a nutricibus & gerulis infantes rapit? quis cum crepundiis & crepitaculis caſtra miles petiit? quis ante

annum ferè viceſimum militarem patientiam potiusquam Scholaſticam diligentiam ab Adoleſcente requiſivit? Conquieſcit aptiſsimè ſenectus in literis. igitur illa ætas conſenſu omnium honeſtiſsimam a militiâ vacationem accipit. Iam cætera vita quam multas vices in vtriuſque commodum admiſcet? nec quotidie ſigna conferuntur in bello. Nec ſemper bellum eſt. nec totum annum occupat Martius. Fuerunt duces qui noctibus in caſtris ſcriberent. Fuerunt qui bonas horas audiēdis Poëtis quos haberent in contubernio: qui legendis quos circumferrent libris impenderent: indeque hoc adeo conſequerentur, vt cum res poſceret multo alacriores in hoſtem vaderent.

Non enim iam cunctabor non muginabor amplius. neque porrò vt hactenus precariò defendam: nihil obeſſe literas militiæ: nihilque eſſe fraudi fortibus debere quod literati ſint. at irrumpam iam vltro ſignáque inferam. contendamque adeo ad omne officium militaris viri vel imprimis literas prodeſſe. Animos ſiquidem armant literæ, animos inſtruunt, animos ad patientiam durant, ad prudentiam acuunt, animos providos in conſilio, ſtrenuos in negotio, certos in periculo reddunt, animis gloriæ ſtimulos, animis ignominiæ metus, animis magnarum rerum cupiditates admovent. Atqui non viribus, aut velocitatibus, nec celeritate corporum vincuntur pericula, perpetrātur bella, res invaduntur & geruntur maximæ: ſed per ſe fluxum corpus ſuſtinet, collabaſcens erigit, titubans firmat, colliqueſcens adſtringit & obdurat in veſtigio generoſa mens: cuius niſi confirmatus quidam & vibratus motus eſt, tum meditatione preclararum artium exacuta & deterſa acies; langueat hebes nimirum & obtuſa quædam, atque in concretione mortalitatis ſegnis degenerque vo-

lutetur. Enimvero ſi velut in libra membrorum craſsities pondus ad victoriæ lancem elevandam tantum obtineret: viciſſent vtique Gigantes Iovem, Monſtra, Herculem Antæus certè. Centauri Theſeum & Lapithæ. & vt me recipiam ex fabulis, Medi Græcos, Perſæ Macedonas, Cimbri Teutoneſque Italos, Saxones Francos, qui omnes vaſtâ ſubnixi mole corporum a tanto brevioribus ſunt dejecti. ſit ingens modo. ſit ornatus literis. ſit exuberans doctrinis, exaggeratus præceptis ſapientiæ cogitationibuſque virtutum etiam in modico fragilique velut carcere mortalis corporis liber tamen & exertus animus. rupes perrumpat vt Annibal. montes perforet vt Darius. mare compleat vt Alexander ad Tyrum. frænet & coerceat, vt Ludovicus ad Rupellam: ponte iungat vt Xerxes ad Helleſpontum, nihil invium denique doctrinæ præſidiis inſtructæ virtuti, nihil arduum comprobet. Teſtis ille literarum Pater Franciſcus Rex Franciæ verè primus cui cum prima rerum longè omnium eſſet gloria Fortuna præ inſita ſuperbia eſſe ſecunda noluit. Tu ne igitur Rex maxime cum illos apud Mariniacum Helvetios, gigantas, homo. ferreos, tener adhuc & iunceus. veteranos, pene tyro, tot annorum ſtipendiis in militia tritos, viginti annorum adoleſcens conſtantiſſimè contemneres, cum audaciſsimè laceſſeres, cum pertinaciſsima horarum quatuordecim continuata pugna concideres: non recordatione præceptorum pueritiæ, non tacita conſcientia doctrinarum, non memoria librorũ ac exemplorum incitabaris. non ſenſibus & cogitationibus inæqualitatem corporum compenſabas? non denique eruditione barbariem, virtute ferociam, ratione contumaciam ſuperabas? Et erit deinde qui neget aliquis liberalem inſtitutionem pueritiæ ad incendendam ado-

leſcentiæ virtutē valere? quaſi ſit præſtabilius ex flagitioſo otio quam ex honeſtiſsimo negotio: ex foco & favillis atque ex domeſticâ ſegnitie, quam ex ſcholarum erudito pulvere: ex luſtris & popinis quam ex muſeis & gymnaſiis vocari ad Sacramenmentum militiæ juventutem. Dequo tametſi æſtimare ex ſola mentione rei facile cuique eſt. tamē illud etiam mecum reputate quid cauſę ſit, cur infidelis, ignavus, furax & fugax miles ex fæce vulgi ferè potius quam ex nobilitate reperiatur. cujus varietatis non alia profecto certior cauſa eſt quam inſtitutio pueritiæ: quæ ſi quibus liberalis eleganſque contigit, omnium maturè occupat inſpergere ſemina virtutū: ſin agreſtis & neglecta id in conſequentis vitæ petulantiâ, morumque inſolēti protervaque importunitate vitium cernitur. Quam rem vt non ſolum cogitationibus informetis, ſed ipſis etiam ſenſibus vſurpetis. ponite vobis ante oculos duos profeſſos modo nomen & centuriatos juvenes, quorum alterum ex diſſolutiſsimâ levitate vitæ, ex foro frequentis vrbis, ex culinâ copioſæ domus, ex cauponis & ganeis, ex flagitioſis inceſtiſque ſpectaculis, ex quotidianis lenociniis, ex nocturnis ſaltationibus, ex pernocti aleá, ex nepotum perenni ſodalitio perditorum conſumpto demum & decocto patrimonio fluctus aliquis æris alieni deſperantem in bellum ejecerit. Alterum traductâ ſanctiſsimè pueritiâ jam ſeveritati aſſuetum diſciplinæ, poſtquam obtemperare, quod vel præcipiuum in militiâ eſt, longo vſu didicit. Poſtquam ſe ad æmulationem vincendi quotidianis in vmbrâ de dignitate certaminibus exacuit, omni politum humanitate, ex doctrinarum complexu omnium, velut ornatiſsimam navim aura quædā generoſæ ſpei in belli aleam provexerit. Vtrum eos putatis pari ambos impetu, æquali ar-

dore animorum in diſcrimina ruituros. An illum non animadvertitis lurconem exanguem reſtitantem.. repente cohorreſcentem ad ſignum claſsici. jam aut ad muſſandum latebram, aut ad fugiendum ſpatium in prælij principio providentem. imo languentem & debilitatum & vel præteritâ luxuriâ, vel præſenti deſiderio marcidum, in illâ Ducis illa Centurionũ triſtitiâ cohortantium, cœnarum dubiarum & lautorum ſodalium recordatione concidentem. Ille interim noſter è Scholis miles vt exultat, vt volitat, vt in ipſam ardens flammam periculi ſplendore provocatus effulgentis gloriæ ruit. vt ſe ipſe ſtimulat, vt ſocios excitat, vt imperia ductantium ex oculis alacritate rapit. Arbelas (inquit) olim & Marathonem & Cannas legeras. Hic tandem vides. imitare quos laudaſti. tot veterum lectores præliorum hujus certè pars erimus. Et nos argumentũ præbebimus Hiſtoriæ. guſtaſti anime quanta dulcedo laudis ſit. nos ſi Achilles en fuerimus, dabit forſitan Homeros bona poſteritas. Aude aliquid Codro ſimile: quippe pugnas pro patriâ. O ſi hoc factis conſequar vt in meo quondam nomine declametur? O decora mors in complexu gloriæ. O Segnes ô inviſas moras vbi hoſtes. vbi periculum? quin oſtendimus continuo an fruſtra Decios & Scævolas, & Curtios & Leonidas & Braſidas laudaverimus. Ex illis minis ex illa obfirmatione animi quid expectandum porro ſit ſi quæritis. Recordamini quid apud Marathonem juvenis doctiſsimus è Schola recens Æſchyli frater Cynegirus fecerit. Quas apud Mantineam ex libris atque ex bibliotheca domus paternæ prodiens acerrimus juvenis Epaminondas ſtrages dederit. Quantam ſuo, quantam gallico nomini veræ gloriæ ſegetem in Ravennati prælio Gaſto Foxius ex optimâ domus illuſtriſ-

ſimæ diſciplina doctorum hominum contubernio ad omnem humanitatem excultus pepererit. quam in ſexcentis prælijs victor ex omnibus magnus Carolus, Ille Romani reparator Imperij, bellandi alacritatem oſtenderit. Homo omnium liberalitate doctrinarum non leviter tinctus, ſed penitus imbutus; linguarum, artium, ſcientiarum conſultus omnium. Idoneus ſane, qua claritate eſt, quem hujus controverſiæ communiter ferremus judicem: niſi clamore ac penè convitio, quâ ſunt humanitate noſtri homines, à Rege cultiſsimo ad Gentem fœdiſsimam provocarent. Turcas nimirum iſti mirari, Turcas prædicare ſolent. eos ex omnibus vnos hodie demum ſapere, qui cum ab omni vita, tum a puerorum inſtitutione literas arceant: nihil ab ætate tenera ad canos vſque niſi ferrum vimque meditentur. Eſto ſi ita vultis. ejurate Chriſtianum nomẽ. trãſite in partes hoſtium. Barbarorum mores atque ſenſus in hanc politæ vitæ civilitatem intrudite. Muhammedi denique litate: niſi vos ei cognominis Turcarum Imperator ordine decimus Muhammedes hoc nomine ſecundus in eo ipſo revincet & calumniæ malæque fidei redarguet. A quâ enim inſtitutione liberali ejus abhorruiſſe pueritia judicanda eſt qui vel primas ſuo ſæculo doctrinæ viſus eſt tuliſſe. vir ſcientiis penè omnibus ad miraculum excultus. mathematicis vero præcellens artibus. Ad hæc incredibili eloquentiæ copiâ: tum Linguarum Græcæ, Latinæ, Arabicæ, Perſicæ, mirabiliter vſu promptus, vt videri meritò potuerit operam navaſſe ſi in tot harum rerum commentatione conſumpſiſſet vitam. vel ſi quod iſti ajunt verum eſt, armis obeſſe literas: nihil effecturus vmquam in bello fuiſſe. In quo tamen omnium judicio; noſtro etiam Chriſtianorum detrimento, tantus ille fuit, vt non modo fa-

mam omnem ſuperiorum ætatum, ſed ſpem etiam fidemque conſequentium longo quodam intervallo ſuperarit. De quo enim vmquam fando auditum imperatore eſt, qui ducẽtas vrbes maximas, in his Conſtantinopolim, Corinthum, Hydruntem, Lemnum, Mitylenem, expugnaverit. Qui regna non pauciora duodecim, variis expeditionibus deleverit. Imperia vero duo florentiſsima Conſtantinopolitanum ac Trapezuntinum ſuo adjunxerit. Quæ niſi ille perfecit omnia imponit nobis Hiſtoriæ fides & annalium ad nos deludendos conſpiravit omnium memoria. Sin hoc ita credimus, quod neceſſe eſt, quid ijs faciamus qui civitates, pro ſua authoritate graves Homines, ſummoſque principes ſeverè monent. vt ſi bono communi, ſi Reip. conſultum, ſi dubiis bellorum temporibus proviſum velint, doctrinã omnem exterminent: puerilem ætatem a contagione librorum arceant, barbariem in mores inſcitiamque propagent: literas denique, vel ſi id ipſum ſine ipſarum auxilio fieri nequeat, proſcribant. Credat iſtis opinor Syracuſana civitas quæ ſummis in obſidionis periculis vrgente terrâ marique ſummâ ope maximis copiis ſummo Imperatore Marcello, non in caritate civiũ quibus lectiſsimis affluebat, non in lacertis peregrini militis, qua multitudine redundabat, non in conſilio Ducum qui nimis etiam multi aderant, ſed in vnius Archimedis a pueritia docti hominis divina induſtria ſubſidium reperit oportuniſsimum. Tum illos deinde audiat Imperator Anaſtaſius qui cum à Vitaliani ducis fortiſsimi ornatiſsimis claſsibus imparatus opprimeretur, actum profecto non de diademate ſolum eius, ſed de capite etiam fuerat: niſi Procli hominis doctiſsimi eruditio vicem armorum & exercituum repræſentaſſet, dum temperatione primum

varia mox apta oppoſitione ſpeculorũ reflexis eorũ objectu ſolis radijs in naves hoſtiũ iiſque inflãmatis, admirabilem inermis victoriam reportavit.

At illis optemperabit certè Licinius magna peſtis literarum. Homo ex vaſtis cautibus Carpati atque ex illa glacialis Daciæ peſtilentia terræ filius. Inter calones a pueritia tritus. miles hinc gregarius. mox acerbitate commendatus ferocis naturæ exemit ſe numero. hircoſorum breui centurionum factus alpha eſt. poſtremo brutum & inſanum caput, cum iocari credo vellet, Fortuna coronavit. cuius quidem tanta libido illudendi fuit, vt quemadmodum ille Mezentius mortua cum viuentibus iungebat corpora: ſic illa ſtolidiſsimum hunc ſtipitem ac mutũ pecus eruditiſsimo diſertiſsimoque Iuveni Conſtantino collegam dederit. Sed non erit mihi credite diuturna pax: vt non eſſent quemadmodum natura ſunt irritabiles animi regum & omnis imperij ſuſpicioſa communio, tamen tam politæ humanitati cum tam illauta barbarie congruere non poſſet diu. quid plura bellum indicitur. ad arma curritur. erumpit è cœlo patrio literarum Conſtantinus è Galliis gravis vltor ſpretæ veritatis. non videtis ad Cibalim Pannoniæ caſtra poſita. non explicatas acies. non armis arma. non ſigna ſignis oppoſita. non Duces obequitantes. non ſuos alterum convicio: alterum voce liberaliſsima provocantem Imperatorem. Alterum condiſcipulos & rivales ejuſdem gloriæ; Alterum conſcios flagitiorum furtorumque participes appellantem. non hinc latè collucens cernitis religioſis characteribus literatum Labarum. Illinc fraternæ cædis aſperſas maculis & parricidio dedicatas Aquilas. Stabat illinc furor, iſthinc ratio, illinc petulantia iſthinc pudor: iſthinc diſciplina, illinc licentia.

pugnabat pro Conſtantino flos lectiſsimus verecundæ juventutis. cum Licinio ſenum inveteratæ proterviæ fœda colluvies. duci vtraque ſuo ſimilis acies. modeſtas hinc videas at certas in periculo facies. illinc corrugatas ſtolida impudentia & perfrictas contumacia frontes. Erexit ſe terrarum orbis in eventum hujus prælij. & dignum ſanè id erat mundi oculis ſpectaculum vbi mundi manus coïere. Vos vero quid fruſtra metuitis veritatis partibus? ſuperabit, ne dubitate, barbaram canitiem juventus literata. Major à Licinio ſit numerus. major experientia, firmius robur veteranorum. vincent tamen vincent illæ manus non magis ferro tritæ quam ſtilo. vincent eruditi bardos, vrbani ruſticos, ingenioſi ſtupidos, culti feros, fortes temerarios, Religioſi phanaticos. Galli denique (nam in Conſtantini exercitu plerique Galli) Galli inquam vincent Thracas & Sarmatas. Semel? magnum eſt. iterum? incredibile. Quid ſi etiam tertiò quartóque? Sic enim eſt, quatuor magnis prælijs Conſtantinus è Scholis Rhetorum doctus juvenis, cum Licinio bellatore duriſsimo, ſed (videte quam id referat) experte literarum; quatuor, inquam, magnis prælijs tyranni demum ipſius exitio debellavit.

Eant jam & doctam iuventutem imbellem prædicent eâdem tum fide tum audaciâ quâ pejerant gladiatores homines. contemnant interdicta ſapientium, authoritatem prudentium repudient. præſcriptum rationis ſpernant: ferociam pro fortitudine, temeritatem pro conſtantiâ, nubem fulgetris & fulminibus fœtam pro Iunone Ixiones amplexentur. Vos vero ſtate in propoſito, Adoleſcentes optimi, inſiſtite, pergite quâ cepiſtis. Iſtorum maledicta & convitia timiditatis perſeverandi fortitudine refellite. ſin ex adverſo truculen-

ti & minaces irruent, ne ſic quidem timueritis. ſurgent pro vobis voſque vel ſuis illis invictis armis protegent, vel glorioſiſsimis palmis & laureis tegent, tot illi quos appellavi milites, Duces, Reges, Imperatores. Galli, Græci, Latini, Barbari, victores omnium gentium, hiſtoriæ decora, ſæculorum ornamenta: quorum nemo non victoriarum auſpicium ab ijſdem illis a quibus præconium expectabat literis petivit. Stabit deinde pugnabitque pro vobis conſenſus Gentium, quæ vniverſæ literas rem ita generoſam & virilem putaverunt vt eam removendam à contagione ſexus muliebris, viriſque vnis committendam communi totius humani generis ſcito ſanxerint. Denique væcordes imo excordes iſtos ſapientum veterum authoritas declarabit, qui cum communem ſapientiæ fortitudinique ſedem cor eſſe iam pridem voluerint: iſti qui ſe carere ſapientiâ glorientur, feritatem, pro fortitudine teneant, numquam efficient cordatos vt eos homines cordatus quiſquam putet, quos ſua importunitas inſulſiſsima comprobet, acerbam cordis loco cucurbitam, item vt illum Tertulliani Marcionem, ſub inhumano pectore geſtare. Quamqnam quid ego tam longè vel à vetuſtorum temporum, vel à remotarum authoritate gentium præſidium advoco ad iſtorũ injuriam propulſandam? quid? vos illam Toloſates non cernitis auguſtiorem humanâ ſpecie, pluſquã viginti ſæculorum canitie venerabilem, famâ, doctrina, rebuſque geſtis longè inclytam veſtram parentem optimam Toloſam? ſtabitis opinor eius arbitrio matris filij. An illa non animadvertitis vt vultu favet literis. vt rugis illis annoſæ frontis renidet, vt ipſa veſte ipſa ſpecie ipſis murorum turriumque minis ingentibus pro ijs loquitur? Non auditis denique graviſsimam conquerentis orationem?

Quænam iſthæc, malum, ſobolis degeneris importuna barbaries meam ſenectutem maculat? eſſene aliquos ex meorum numero tam feros ſuam vt eos inhumanitatem non modo propalare non pudeat, ſed delectet etiam propagare? Literas-ne iſti è republicâ tamquam ver ex anno tollere moliantur: quibus vnis & conſilia bellorum & pacis gubernatio continetur? quæ enim vmquam viguit ſine literis civitas? quæ florem, imo quæ ſtatum vllum ſine præſidio doctrinarum umquam obtinuit? Ego quidem certè in ſinu nata literarum, literis innutrita, literis ad hanc amplitudinem educta ſum. Literis coacti primum in ſocietatem civilis vitæ conuenere cives mei. literis ijdem ſibi famam, æternitatem mihi peperere. An eſt qui vel neſciat, vel oblitus ſit, id quod ſcriptorum antiquiſsimi prodiderunt, Primos omnium iam tum heroicis temporibus meos Tectoſagas juſtitiæ gloria, cuius vim ex doctrina didicerant, claruiſſe? quid deinde mea reliqua tempora, quot eius laudis illuſtria monumenta; quot præcellentes viros, quot divina ingenia dederunt? quot Poëtas ego genui, quot Rhetoras perfeci, quot Philoſophos quot Medicos protuli, quot Theologos dedi? Nam quid Iureconſultos dicam: cuius facultatis domicilium eſſe penes me Iuventutis eius ſcientiæ cupidę ex omnibus penè terris concurſus declarat. verum id quidem: ſed ego ſcientias complexa omcommunis vniuerſarum audire parens malim equidem quam vnius. quod vtique mihi meritò decus aſſerunt Primum Academia nobiliſsima, antiquitate, privilegiis, fama excellens. deinde vero tot gymnaſia, tot ſtudioſorum ſodalitates, tot collegia variarum nationum vberrimis ad perpetuitatē inſtructa cenſibus, viſendis etiam ædificiis decorata. Hæc amoris hæc iudicij erga literas mei

pignora profero. Hæc mihi famam hanc doctrinæ qua dudum floreo apud omnes latè gentes pepererunt. Hinc mœnium amplitudinem, hinc civium numerum, hinc externorum frequentiam, hinc has opes atque hanc celebritatem ſum conſecuta. hinc denique ornamenta pacis, hinc belli ſubſidia, hinc præſidia proſperarũ rerum, hinc conſilia dubiorum temporum, hinc vrbanitatem eruditorum domi, hinc fortitudinem Imperatorum militię nacta ſum. Erret enim qui! crediderit minoris me vnquam Martem feciſſe quam Muſas. conſulant ſi mihi non credunt invidi mei Hiſtoriarum memoriam vltimam: reperient ferociſsimos Germaniæ populos à meis primum civibus, ſuis in transrhenanis provinciis laceſsitos, profligatos, victos, ſolum patrium meorum coloniis conceſsiſſe. Quid deinde num obſcurum eſt vaſtiſsimos Maris fluctus ab armatis Tectoſagibus ſuperatos? Teſtes Cappadocia, Paphlagonia, Cilicia, Monſque ille nominatiſsimus Taurus, omnes Tectoſagum quondam armis occupatæ Provinciæ. Sed vt longinqua ac penè jam obſoleta prætercam, citimis exinde temporibus quot bella confeci? quot Regibus obſtiti? quot barbarorum exercitus à meis mœnibus meorum manibus repuli. Invideat illa quæcumque eſt quam vetuſtiſsimam prædicant Roma, me tamen Iunior: non minus oppugnata ſæpè quam illa, rarius tamen expugnata ſum. Iam illi notiſſimi mei Comites quanti duces in bello fuerunt? Quantum eorum in Hiſtoriâ nomen? quam nota finitimis bellandi virtus? finitimis dico, cum in Palæſtinam ſacris expeditionibus inter primos cum invictâ meorum manu tranſmiſerint: vt iterum tanto intervallo Tectoſagum armis Aſia quateretur. At ijdem illi quam vrbani, quam elegantes, quam vel docti ipſi, vel patroni

doctorum ? Quorum hanc vtramque laudem; armorum, inquam, & literarum, ſed hanc præcipuè, Iuventutem meam æmulari decuerat. nunc aliquos iſtorum video ita ſibi ab eorum nomine nomen mutilaſſe, vt munditias Raymundorum teneant, res geſtas omittant. Vos vero ſi mei eſſe & agnoſci vultis, Adoleſcentes, pueritiam literis, robuſtam ætatem armis, ſi res feret, exercete. optimus ad virilem fortitudinem curſus eſt per inſtitutionem adoleſcentiæ liberalem. lacte muſarum adoleſcere debent alumni Martis. hæc mea ſemper ratio, hæc diſciplina fuit. eam vos ſi tenueritis, approbabitis omnibus me glorioſiſsimam appellationem Toloſæ Palladiæ, hoc eſt armatæ ſimul & literatæ, neque olim vſurpaſſe temere, & iam mihi merito vindicare. Hæc veſtra parens optima, Toloſates, cuius oratio cum apud vos certè valere debet plurimum. tum eorum contumaciæ nebulonum os obtundat neceſſe eſt, qui ſpretâ naturæ voce, qui rationis conſilio repudiato, qui ſæculorum experientia, populorum conſenſu, ſapientum authoritate reclamantibus, non verentur tamen dicere: *Studiis literarum timidam imbellemque reddi iuventutem.*

# DIXI.

# ARGVMENTVM IN duas Orationes ſequentes.

## *Ex Himerij Sophiſtæ Exercitationibus.*

*REX quidam reportatâ de Lacedæmonijs victoriâ, aliquot poſt diebus convocatis in Conſilium Ducibus & Tribunis decerni judicijs illorum voluit, quis ſe omnium in nupero Prælio fortiſſimum præbuiſſet. Acceſſerunt ad illam contentionem Cleonnis & Ariſtomenes; quorum ille periclitantem & jacentem ex vulnere Regem in acie protexerat; & circa illum octo Spartanos interfecerat: in ijs duos Tribunos: ſpoliáque circumſtantibus diuiſerat. Ariſtomenes vero in eodem Regis periculo quinque circa ipſum hoſtes occiderat, deinde fuſis illis victor rediens; ſine vllo vulnere, animam agentem humi Cleonnim humeris in caſtra reportarat.*

# ORATIO XIV.

## CLEONNIS PRO SE adverſus Ariſtomenem.

EO brevior hæc oratio, quò pugna tùm longior, eò facilior cauſa quò periculum illud atrocius fuit. redundat in hujus meę contentionis ſpem illa victoria. Benè habet, non agimus apud Judices qui jura cauſarum auribus ſentiant. Conſcientiam ciere cujuſque veſtrum: & teſtes meæ virtutis oculos poſſum. Quamquam ſi quemadmodum fortitudine, ita fortuna quoque vterer Ajacis, vt mihi periclitandum pro virtutis præmio verbis eſſet: Ne ſic quidem ſperes, Ariſtomenes. Ego vel Vlyſſem Vincam. Tibi quamvis eruditum vnum tamen eſt os: pro me tot perorant ora quot patent vulnera. Dudum eſt cùm legitimum honori pretium ſanguinem Dij dixerunt: Tu procus Penelopes comptus & Vegetus, nitore& delicijs gloriam ambis; Viraginem quæ pulvere tantùm & ſudore delinitur; neque facies amat niſi cicatricibus deformatas. Heus delicate victor è prælio tanquam è panegyri redis. Age, vidiſti pugnam. non hoc omnibus creditur, teſtes hujuſce rei plagas volo. Cedo quas monſtras? Recens, inquit, eram ab acie cum te vidi. rectè prædicas. difficilis alioqui ſuſpicio

ſuſpicio. niſi moneres ex balneo crederem te recentem. Atqui nec Venus, nec Apollo, nec Mars quidem ipſe belli Deus, integri ex prælio reuerterunt. ſed tamen ſi te in deliciis amaſium habere Fortuna,& meliori conditione quam Deos voluit; Quid quæris aliud ? ſufficiat tibi tanta merces. Cur nobis ſpiritus & ſanguinis inuides pretium? Verum eſto. ad infelicitatem conſauciati, non ad laudem ſimus,miſeros nos vulnera non fortes probent. Res ipſas nulla cruoris nulla periculi ratione ducta comparemus. Quid jactat Ariſtomenes! Spartanos à ſe occiſos eſſe quinque : tres minus dicit quam mearum palmarum numerus eſt. Ego Spartanos octo,quod vidiſtis omnes,poſtraui, confeci,ſpoliavi. Quid ais ? quid contendis? quid tribus gradibus provectiorem ad ſpem principatus ſupplantare fruſtra niteris & prævertere. Oſtende Symmache quem tibì pugnans dedi gladium Braſidæ, quo Regis latus ille hauſerat. Tu alius haſtam Cleombroti. Tu Agidis thoracem, Tu parmam Leonidæ produc miles. Tum vos omnes cæteri proferte Commilitiones ſpolia quæ victor in acie diſtribui. Tu quoque Rex optimè tacitus tibi ſubiice quid in tuo periculo fecerit Cleonnis, nam mémet profiteri,tametſi cauſa flagitabat,pudor meus prohibet. At hercle non tam verecundum adverſarium experior. meritum in os inculcat, officium exprobat; Primùm gratiam perdis, Ariſtomenes, dum prædicas; ignarus tam oblivisci debere beneficij dantem, quàm accipientem neceſſe eſt meminiſſe. Deinde ſi ad dedecus ſuperſtitem voluiſti, clementius me mactaſſes. Næ tu caro beneficium vendis, ſi curationis mercedem extorques gloriam,pro qua vitam fortes paciſcuntur, Colligebas igitur vt dehoneſtares, erigebas vt affligeres. Ambitio non liberalitas fuit. volebas

N

# ORATIO XV.

## ARISTOMENES PRO SE adverſus Cleonnim.

MIRARI quam iraſci inter vtriuſque rei cauſas, ideo, Iudices, magis placet quia humanius eſt. Deficiat licet Cleonnis ab officio, conſuetudinem tenebit Ariſtomenes & ſua beneficia tuebitur, quamvis autori pernicioſa. Ergo illud miror Cleonni, ſperare Te probaturum viris talibus Orationem iſtam, quæ neceſſariò ingrata eſt. Quid petis? contra quem venis? Noſtin has manus quas palmâ fraudas, quibus præmium extorques? Ignoſcite, Iudices, illiberale eſt, ſcio; commemorare beneficium. ſed eius culpæ ſubeat invidiam æquum eſt, qui cauſam dedit. hoc iure meo deprecor. tolerandum putetur quod neceſsarium eſt; aut criminis quod invitus ſuſpicio pœnam luat ille qui coëgit. Poſſum-ne ius meum negligere: notam accipere: periculi pretium non tollere virtuti meæ malignus eſſe: & ignavia ſilentii, alieni ſceleris fieri particeps? Vos ipſi diſsimulabitis feretis, connivebitis, Iudices? hoc exemplum ſtatui ſinetis? Vobis autoribus, ſervati decus Patronorum auferent? ad hoc ſedetis vt mercedem For-

tium Ingratis tribuatis? O infenſam ſemper virtuti fortunam? O æternam oblatratricem veræ laudis invidiam. Hoc agit malus Genius Civitatis noſtræ Iudices, vt ſervare civem cavenda res & pœnitenda videatur. Ad hoc tu illi Cleonni vocem tuam commodas. Novit perniciem hujus exempli, Perituros nos intelligit ſi ſemel ſpem noſtri decoris in æmulorum civium interitu ſitum eſſe ſentiamus. Bella civilia, cædes, quid non cladis atque ſceleris concepta ſemel iſta parturiat opinio? Quare vos obſiſtite, per DEOS, Iudices, præiudicij nefandi corruptelā abrūpite. Si laudatis Codri mortē pro civiū capite ſuorū ac ſalute provocatā: ſi, quod naturæ feris etiam & Barbaris perſuaſit gētibus, vos cultu & inſtituti retinetis: præcipuæ laudis eſſe ſalutem expedire periclitanti capiti. qui alterum morti eximat penè Deum homini hominem eſſe. Coronas civicas herculeæ gloriæ participes liberatoribus civium eſſe tribuendas. Hæc inquam, ſi comprobatis, oſtendite: ſi damnatis, ne celate. Multa Iuventus huic intereſt iudicio conſultura rebus ſuis prout ſenſum eſſe veſtrum viderit. Plurimæ inſtant cum Lacedæmoniis, cum Athenienſibus, cum cæteris pugnæ, quà Græcis quà Barbaris. uſus occurret frequens huius exempli qualecumque ſancietis. Mulctate me præmio quia Cleonnim ex acie retuli, Reipublicæ ſervavi. quis ſtultus deinceps labore ſuo periculum ſibi faciet, & contentione ac diſcrimine obtrectatorem ſuæ laudi comparabit?

Hæc actionis tuæ præclara, Cleonni, conſtantia eſt. hæc ambitionis præpoſteræ funeſta confuſio. Tun'ut prurigini neſcio cui ſervias, iura Naturæ conculces? exempla nefaria conſtituas? mores Scytharum in politam vitam inferas? meriti & peccati diſcrimen obruas? Pietatem tollas? Be-

beneficientiam extermines? notari hominē & dedecore inuri iubeas vnā ob cauſam quia Te ſervavit? Atenim quinque dūtaxat Spartanos occidit Ariſtomenes quot vero Cleonnis? octo. næ tu diligens & attētus es. Mihi numerare hoſtes, neque in otio umquā libuit; neque in prælio vacavit. Agendi sēper & inſtādi partes teneo. ſubducendi calculos negotium hoſtium ſit. Equidem plus quam decem vulneraui. quot ex illis convaluerint, viderint medici. ubi maximus ardor prælij, eò præceps occurri Enſi, haſtæ, telo non peperci ſi quibus vel clypeus durior, vel fuga maturior ſaluti fuit, fortuna ipſorum eſto non mea calamitas. Circumfuſos magno numero Lacedæmonios tum obrui, quod túte meminiſti, ad dexteram, ad ſiniſtram à fronte ſexcenti. & illi quidem audaces, alacres, victoria ſubnixi: quod Regem Prælio eiecerant, quod Te proſtraverant. Illud periculi pondus ego depopoſci, ſubii, excepi, ſuſtinui. Flagrantes impetu primùm ſtiti, deinde conturbavi, mox dejeci, poſtremò ſubmovi, Hoc dum agerem multos haſta fodi. multos enſe ſtrinxi. dextra, ſiniſtra, contra, eminus, cominus, ictum vt libraveram, quid is efficeret ſecurus eram. Iaculum vt quodque manu fugerat, Marti committebam. nec hebes in mortales, nec vanum in confertos telum admodum vllum cecidit. æſtimet numerum cui vacat. defecerunt arma priuſquam membra. Pharetram exhauſi non vires. Fractis hoſtibus integer ſteti. ſtrages propè vndique: & procul fuga, circa me quies vaſta: quâ non percenſendis hoſtium cadaveribus, ſed ſervandis meis civibus vti ſatius eſt viſum. Credam tamen ſi vultis iſti teſtimonio domo licet Adverſarij producto. age ſane nihil fallat in tantâ ſuâ cauſâ iſta ſubtilitas. Accipio quod dicis. Ego quinque, tu octo confeceris. Obſecro

Te Cleonni: aciem armorum, an robur comparamus corporum? Igitur hoc agi vis iſto iudicio: utrius acutior mucro fuerit, primas is virtutis ferat. Nam ſi lacertos contendimus, facile diiudicatu eſt, ſitne fortior qui poſtratus jacuit, an qui afflictum extulit humeris. Ego poſt occiſos quinque vires habui quibus decem conficerem. Tu ipſe teſtis. Expertus es cum Te ſuſtuli, quid valerem adhuc. Hoſtes occidi quinque: ſed civem ſervavi qui octo potuerat ſternere. Parvo Te æſtimas Cleonni, ſi tribus cadaveribus tuam vitam poſthabes. Maior erat noſtra Clades ſi tu perires vnus, quam ſi centum ex iis qui ceciderunt hoſtibus viverent. Itaque non conturbor iſtâ oratione; Ariſtomenes quinque tantum hoſtes ſuſtulit. dum illud addas, ſed idem Cleonnim ſervavit. uno illo verbo confectam rem puto. nil moror veſtras ſententias. Ite in ſuffragia, & ſi mea cauſa vultis, ius mihi meum reddite: ſin Adverſario favetis; Eius ſervati gratulationem & fructum tribus mortuis præferendum putatote.

DIXI.

# ORATIO XVI.

*Diſſuadetur Simoni ne Centum talenta & duos filios Ionatæ, Tryphoni tradat falſam ſpem oſtentanti Liberandi Ionatæ, ſi ea dentur.* Lib. I. *Maccabæorum Cap.* XIII.

CVM tuam tantam conſtet eſſe ſapientiam, Princeps maxime, vt in rebus quęcumque occurrant, quamvis eæ perplexe intricatæque ſint, expedire conſilium per te poſsis: Nullúſque ſit omnium qui quod opus facto eſt perſpicere te melius vbivis queat; nihil erat ſane opus rogari me hoc tempore quid ſentiam: tamen quia cujuſmodi ſit, quod præcipitur, minus attendere, quam, jus arbitriumque præſcribentis, veri demum obſequij officium eſt, quæ mihi eſt neceſsitas dicendi te iubente, eadem velim apud omnes excuſatio ſit, vt nemo jam miretur, ſi conſilio tibi dando, quando hoc pro imperio cogis, oblitus ſapientiæ tuæ, meminiſſe tantum videar poteſtatis. Cæterùm quia

factu pulcrum creditur, neceſsitatem quamcumque in occaſionem vertere, ex eo quod invitus in diſputationem trahor minimè vt arbitror neceſſariam, duo mihi quædam vindicabo; alterum, vt brevius liceat tranſigere ſuperfluam orationem; alterum, vt quæ neceſſe erit dicere, liberius & tamquam irritatus, nullo gratiæ reſpectu proferam. Atque hæc cauſa eſt huiuſmodi, vt non dicam omnium prudentiſsimus in eâ dubitare Simon, ſed ne vllus quidem mediocriter attentus pater familias queat. quid enim quærimus? quid agitur? quid Typhon petit? quid Simon deliberat? Etiamne dicendum eſt? petit latro crudeliſsimus prædam poſt ſanguinem; pueros poſt parentem: perfidiam avaritiâ cumulat. Opimum ſceleris ſui præmium talenta centum flagitat. tum velut ſacrilegij piacula innocentes, eius quem ſummum Antiſtitē phanaticus violavit Ionathæ, permitti furori ſuo liberos poſtulat. nos vero hic ſedemus proh Deum maximum! & lenti ſentētias rogitamur: quos nullam quietis partem indulgere ſcelerato, volitare armatos, iniurias perſequi, & ſi quæ reſtant adhuc prædæ noſtræ reliquias vel cruentas extorquere decuerat. Verum quando tantam vltrò illi moram tribuimus, & primorum belli temporum, primique poſt dolorem impetus, gratiam incauti facimus, videamus num etiam ad reliquam poſtulationem accomodare poſsimus aſſenſum. Audite quid a vobis petat Tryphon, & audite ſi poteſtis patienter: ſin minus dubitate; num concedere poſsitis que ne auribus quidem accipere ſuſtinetis. petit enim hoc & rogat, hoc à te Simon, hoc à vobis, viri proceres, homo dignus Tryphon poſtulat vt quoniam ille fortiſsimum veſtræ Reipublicæ principem Ionatham de ſe privatim optime meritum omni perfidia ac ludibrio

deluſum nefariis inſidiis ſceleſtiſsime comprehenderit, ſpoliarit, vexarit, cruciarit. quoniamque ſibi timeat ne patris iniurias perſequantur aliquando Filij; liberetis hominem hac ſollicitudine, eique hunc ſcrupulum qui ſe dies noctesque cruciat, eximatis. ſe ſe vel vno liberorum Ionathæ ſuperſtite tam importuni parricidij ac ſacrilegij debitas pœnas nequaquam arbitrari poſſe evadere; his ſublatis neminem ſui ſceleris vltorem futurum. Enimvero commoveri quoſdam video, alios mirari etiam & abnuere: an vero ſonum verborum non animi ſententiam attenditis? non dicit iſta Tryphon? imo agit per Deum Immortalem, idque ita non obſcurè vt eum ea cauſa appellare ſtultiſſimum ſoleam, qui exiſtimet ea quæ palam agit, latere nos poſſe. An eſt, An eſſe poteſt, alia, non dico cauſa, ſed prætextus cur Ionathas ſervaretur (niſi & hoc fingitur) ſed ſi adhuc vivit Ionathas, cur ei putatis parcitum niſi vt illo tanquam hamo ad reliquam eliciendam prædam abuteretur? atqui cum in eo ſunt indigna multa, tum nihil ferendum minus, quam quod credulitatem Patrui ad Pupillorum orbitatem opprimendam Latro perfidus comparat. Itane vero te idoneum arbitratus eſt qui tuos proderes, qui ſpes noſtras interverteres, cui tam flagitosè, tam inverecundè, tam petulanter prædo nefarius illuderet? Verum aliud conquerendi tempus eſt. Nunc rem ipſam æſtimemus: & conſtituamus aliquando num æquum ſit, homini quem nemo non novit eſſe perfidioſiſsimum, etiam ſi Deo placet iniurato in re tanta credere. Ego vero antequam de homine diſputo de cauſa pauliſper dicam & de periculo: quod aio eſſe tantum, neminis vt hominis, quamvis perſpectæ fidei, arbitrio committi ab homine prudēti res tātæ aleæ tantique momēti debeat. Pueri ne nobi-

liſsimi, ſtirps familiæ principalis, ſpes gentis, ſa-
lus Reipublicæ, vni: nondum dico quali, ſed vn
homini committitur? At perſtabit in fide. primum
neſcio. deinde quis committat, vt aliena conti-
nentia potius quam ſua providentia ſalva eſſe
poſsit hæc Reſpublica? Ergo videte quid velim,
ſi quidam hic adeſſet Solon, quem prædicari à
Græcis audio: aut Lycurgus apud Cognatos no-
ſtros Lacedæmonios clarus etiam exemplis ſer-
vatæ fidei: non illis tamen filios Ionatæ putarem
eſſe permittendos. eſt etiam in habenda fide ſuus
modus, & ſua cautio: periclitentur opes, exerci-
tus, naves: Caput principis, fundamentum ſpei,
perfugium cladium, numquam benè diſcrimini
committitur. Atque ſic ego diſputo tamquam po-
pulus Romanus, cuius fides eſt ſanctiſsima, filios
Ionatæ peteret Obſides, non è ſervo tyrannus,
Archipirata conſceleratus, homo aut monſtrū po-
tius ex ſcelere, ſacrilegio, perfidia, fictum atque
maceratum. credendum eſt igitur? iniquum & pe-
riculoſum. ſed credatur ſanè. cui vero? Trypho-
ni. Quidni etiam Antiocho Epiphani ſi reviviſcat?
Itane vero Tryphoni pueros? Lupo agnos? Leo-
ni prædam? draconi, pantheræ & ſi quid eſt te-
trius? quam ille vmquam officij partem tenuit?
quam fidem non polluit? quod ſacrum non viola-
uit? quid divinorum humanorumve non omni li-
bidine ac furore conculcavit? à quo ſacrilegio ma-
nus, a quo perjurio linguam, à quo tam innoxio
ſanguine ferrum abſtinuit? Servabit Iudæis hoſti-
bus fidem Tryphon; qui Patriæ libertatem, Prin-
cipis majeſtatem, Regis imperium, ſeditione, im-
petu, vi, pervertit! Iam huic ſultis credite, cui Rex
ſuus Demetrius quia credidit exulat miſer. Et is
vt ſibi committas proh ludibrium! pueros inimici
ſui filios, Regis ſui proditor poſtulat? Ille-ne ſce-

ſere demens; an tu illi delirare viſus es, Princeps ſapientiſsime? an homo perfidioſus te quoque ſui ſimilem credidit? nam quod Centum talenta flagitat quibus in nos bellum apparet, ferenda res videtur, & jactura tolerabilis, præut eſt illud flagitium contumeliæ, quo homo ex fraudum fallaciarumque omnium colluvione natus, in famam tuam & exiſtimationem tui nominis graſſatur. in te deonerare de ſuâ invidiâ partem maximam, te conſortio aſpergere ſui ſceleris, te ad proditionē ſibi vtiliſsimam, nobis exitialem, tibi morte pei us fugiendam, adminiſtro cupit vti. quamquâm ille credo non in eo tantum ſuum quæſtum & rationes æſtimat ac compendia rerum ſuarum munit: ſed hoſtis implacabilis, bellum in te civile, ſeditionem clam a tuis inſtruit. Hoc adeo conſilio verſutam iſtam excogitavit calumniam quâ te in populare tuorum odium præcipitaret. Age enim dede pueros interfectori patris; quid dicent homines? quid exiſtimabunt? quæ tâcita judicia? quæ apertæ voces, & querimoniæ plebis? ſcis nihil eſſe tam ſublimè tamque ſubductum cœleſti puritate quadam ab omni cogitatione labis, vt eò etiam graviſsimorum criminum ſuſpiciones non pertingant. humani nihil incredibile de homine eſt. dicent, cogitabunt certè, lætatum te eſſe caſu Ionathæ. Neque adeò doluiſſe amiſſo fratre, quam gaviſum adepto principatu. Nihil fingi poteſt alienius. ſcio, ſed quid non capit vulgi levitas, hoc præſertim imbuti præjudicio; etiam ſanctiſsima pietatis iura Regni gratia calcari ac pollui ſolere. quod ſi deinde audient pueros te Ionathæ principatus hæredes, Carnifici patris contrucidandos tradidiſſe, quanta flamma invidiæ exardeſcet? quid tu huic tempeſtati tantæ par ferendæ ſis? tu famam à criminibus nomen à convi-

ciis, vitam à telis hominum tuam tueberis? Hæc cogita: hæc provide: per te tuoſque te obteſtor, Simon. ſimul illud, quod te plus multò etiam quam privatum periculum commovet, exitium commune, & interitus nominis Iudaïci non dubius. ſi intus ſeditionibus, foris bellis quatiamur. ſi domeſtico malo laborantibus hoſtis incumbat, noſtra pecuniâ paratus, noſtrâ diſcordiâ fretus, quid iam ſupereſt niſi vt Deum precer optimū Max. cuius ope atque auxilio potius, quam humanis illis opibus aut conſiliis hæc Reſpublica ſtat, ne vmquam abripi nos in errorem tantum patiatur, vt votis hoſtium & cupiditatibus nefariis noſtra conſilia & voluntates accommodemus. Ne propagetur ad nos vſque contagio parricidij Ionathę. neve illo crudeliter oppreſſo, nos reliquias eius nomiminis ac generis in eandem flammam in quâ ille perijt coniiciamus; agnoſcamus dolos perfidioſi hoſtis & callidi; declinemus inſidias ſapienter, fortiter iniurias vlciſcamur. quamcumquè hîc trahimus in deliberando moram ipſius lucrum eſſe reputemus. Expediamus impetum. irruamus in ſceleſtū. ſi vivit adhuc Ionathas vinculis eum & ſervitute liberemus. ſin quod eſt veriſimilius iam eſt trucidatus. ſepulturâ, ſic a nobis meritum, & honore funeris more patrio donemus. qui vtcumque habet, nolite dubitare quin commendet vobis ſuos filios, rogetque & obteſtetur, ne, quod ille vnum peccavit in vitâ adhibendo fidem verbis Tryphonis, id vos imitari eum extrema domus ſuæ clade velitis. magnum errorem illum fuiſſe ſuum; ſed novitate fortaſsis excuſandum. putavit Tryphonem eſſe hominem. neque enim is adhuc belluinæ ſuæ rabiei ſpecimen & exemplum dederat, nos quæ excuſatio defendet, ſi expertæ perfidiæ credimus, & tam citò, tam leviter, tanta in re credi-

mus, quanta ne probatiſsimæ quidem fidei credenda eſſe videatur. Plura dixi equidem quam decreveram; & quam erat opus. At vos ſi mihi creditis, & omiſſa conſultandi cuntatione, repente improviſi in Tryphonem vadimus, plura quoque conſequemini quam ſperatis.

DIXI.

# ARGVMENTVM IN duas ſequentes orationes.

*QVæ ſequuntur Orationes duæ, è Græ-Polemonis adeò liberâ paraphraſi redditæ, cum additione etiam novorum ſenſuum, ut penè denuò ſcriptæ videri poſsint; ſpe diſceptandæ controverſiæ Laudationes revera pe-rant Iuvenum duorum Marathonio prælio cæſorum: quorum prior Callimachus ducis fungens munere telorum hoſtilium nimbo obrutus, ijs per transfoſſum erat corpus ſolo affixis ſuſtentatus, etiam poſt mortem ſte-tit. Alter Cynægirus averſos in fugam hoſtes tam cu-pidè inſecutus eſt, ut eorum ſolventem navem ipſe manibus conatus, iis abſciſsis, arripere eam mordi-cus ac ſic retinere tentaverit. Erat autem mos Athe-nienſium cujus meminit Thucydides libro. 2. ut bel-lo mortuis ſemel in anno cunctis ſimul juſta funebria publicè perſolverentur, delecto ſuffragijs civium vi-ro primario qui orationem de mortuorum Laudibus & Panegyrim haberet. Fingit Polemon deligi ad hoc ha-buiſſe proximum cognatum ejus qui omnium fortiſſi-mus in prælio fuiſſet. Cynægyri Patres, & Callima-chi ea cauſa commiſit, ambientes ſibi quemque pro-vinciam dicendi. Prior ſic egit Cynægiri Pater.*

# ORATIO XVII.

## LAVDATIO CYNÆGIRI.

QVANDOQVIDEM in procurando ſolemnibus cerimonijs fortiſsimorum civium funere, cum alia multa obſervanda ritè ſunt; tum illud eſt legitimè conſtitutum, vt qui defunctorum merita celebraturus oratione ſit, is ad illos domeſtica neceſsitudine & communione ſanguinis attineat: aio ad me vtique omnium potiſsimùm id officium ſpectare qui Cynægiri Pater ſim, hoc eſt, qui palmam ac florem ipſum eorum qui ad Marathonem periclitati ſunt, ex meis viſceribus editum ſaluti gloriæque civitatis impenderim: iuvenem ea indole animi, ea vi naturæ, vt eius in fruſta concisi trunca ipſa diſcerptáque membra dimicaverint cum Barbaris. Ac æquum quidem cenſeo Callimachum, qui virtutis in eo certamine ſecundas tulit, laudis ſuæ portione non defraudari. Cęterùm tanto iuſtius eſt mihi quam illius Patri ad commune ſepulcrum concionem dari, quanto maiori honore dignus eſt Cynægirus quam Callimachus; hoc eſt, expeditus, in procinctu, adeóque ardens in opere miles, quam exangue ac frigidum cadaver, labore iuxtà periculoque omni ſimul cum vita, quantumvis glorioſa morte defunctum. In ſumma quanto præſtantior animi vir-

tus, habitu corporis. Cuius ſi mei voti, pro eo ac dignum eſt, compos fuero, omni accuratione in eo argumento dicendi verſandum mihi iam nunc ſtatuo: non privata laudum cupiditate quæ mei filij propriæ ſunt; tamquam illæ niſi ego dicerem ſaluæ illi non eſſent futuræ ( cuicumque enim tandem perorandi partes tribuantur, is ſermonis vtique ſui partem ornando Cynægiro vel maximam attribuet ) ſed ſi quid in me huius generis facultatis eſt, id quantulumcumque eſt in communem gloriam commendandis optimis civibus, quorum iſtud ſepulcrum reliquias colligit totum effundere poſſe, in ſummæ felicitatis parte numerabo. Nam illis quoque amplum certè & glorioſum eſt Cynęgiri Patrem ad funus adhiberi laudatorem; Quippe ita manus omnium eadem cum Cynægiri dextera laude cenſebuntur; ſin vero infeſtus me caſus aliquis ſpe tam æqua deiecerit, ſic habetote, noſtris hiſce contentionibus ambitioſis filiorum ornamenta & decora, fructum mortis atque victoriæ ſimul cum mea cauſa periclitari. Videte autem quanto dignior Cynægirus ſit qui ſepultus vincat, quando & vincens mortuus eſt? Porrò cum vterque noſtrum præſidium omne obtinendæ cauſæ huius in virtute filij conſtitutum habeamus: ſitque illa vnà res in qua hoc iudicio niti oporteat ad vincendi ſpem, vt comparandis facinoribus duorum, vnius maximam præ cæteris extitiſſe fortitudinē evincatur: nullo opinor modo hæc facinorum contentio aut inſtitui commodius aut dijudicari poteſt certius, quam ſi, quid ab illorum vtroque geſtum in acie ſit narratione declaretur. Ac tuum quidem Callimachum militaris ipſe certè quem gerebat magiſtratus Marathonem abripuit vel invitum ad Barbarorum exſcendentium vim propulſandam. Cynægirus vero ſola

vero ſolâ virtute & generoſitate animi, cum vix egreſſus ex ephebis, legitimam haberet excuſationem ætatis, ante militare tempus voluntarius miles ad expeditionem profectus vltrò eſt: non ſacramento, non lege, non neceſſitate, non vi, non ſpe denique vllâ aliâ, aut amore incitatus niſi magni cuiuſdam edendi facinoris, & ſempiternæ gloriæ conſequendæ. In ipsâ deinde pugnâ cum omnes, quantum in acie Marathoniâ noſtrorum vel civium vel ſociorum ſtetit; quoſque Mars in conflictu pigneratus eſt, quoſque noſtra nobis fortuna ſervavit, nihil ad ſummam ſibi fortitudinem reliqui fecerunt: tum vero duorum præſertim, mei, & iſtius filij, tanta virtus extitit, vt admiratione mortalium omnium multò digniſsima videretur. At huius quidem filius telis cum ſeſe hoſtilibus induiſſet, ſagittis iaculiſque innumerabilibus circũfuſæ multitudinis affixus eſt: ideóque in illâ ſtantis gloriosâ ſpecie moriens perſtitit; viſúſque eſt virtute quâdam ſuâ ſtare, cum cadere ne poſſet quidem. Atque huc tandem redit ſplendor omnis Callimachi: hic eius ille clarus interitus, & inani ſolum ſpecie commedabilis habitus viventis in mortuo corpore. At meus Cynægirus perruptâ ſuperatâque phalangè hoſtium ſine vllo deinde metu procurrens in ipſum vſque maris littus ſuæ fortitudinis elatus æſtu irruit, quò maxima iam ac pugnaciſsima pars hoſtilis exercitus ſe receperat. Ibi licet propè nudus, ſolius virtutis armis fortiſſimè dimicans invaſit in mare; primuſque adeo hominum navale prælium ex terra laceſsivit. Ac multas quidem alias naves incuſſo terrore avertit in fugam; vnam autem Phœniſſam quandam magna illâ ſuâ in carinam iniectâ manu tenuit, ne fugam quidem regiæ claſsi permittendam ratus. Longo igitur tempore coërcita navis ſtetit, defixa

conſtrictáque, tamquam rudente, Cynægiri dexterâ. Quâ deinde abſciſsâ, adiecit ille alteram; & ad ſingula Cynægiri membra atrox erat Barbaris exantlanda dimicatio. Hâc quoque altera porrò abſciſſa manu, reliquus Cynægirus ſuis ipſius manibus partæ victoriç trophæum ſtetit. Intereáque dum ille truncus & ſemianimis de Natura querebatur tamquam egena; & inſtrumentis illuſtrium operum malignè exiliterque inſtructa, fugientibus enixè Barbaris abrupta licet dextra ſemel arreptam tenebat adhuc proram: citiuſque emiſit animam Cynægirus quam navim dextera. Vbi illud contigit mirabile vt Cynægirus ſine manibus cum navibus pugnaret· manus autem ſine Cynçgiro fugitivis inſtaret hoſtibus. Diviſum porrò Terræ maríque iaceret cadaver vnum, cui vtrique elemento ſuis vnius membris explendo ſuffecerat. Hęc mihi rem conficiunt. Hæc victoriam ſpondent. His tantis de cauſis mihi potiſsimùm tribui dicendi partes ius faſque eſſe contendo. A me enim vtique, qui alioqui induſtriam in dicendo meam multis antea probaverim, à me, inquam, ornari ſepulcrali encomio monumentum hoc debet, quod mortuo illo meo, vno ſimul & multiplici ſuppeditando, nobiliſsimum reddidi. At hic Tribuni militaris ſe Patrem ait eſſe. Me vero vnius tantum cuiuſdam de turba militis. Quid eſt igitur cur hunc etiam honorem appetat qui illo alio tanto, tamque amplo ſit potitus? Atqui vt ille cladis domeſticæ præclaram habet conſolationem magiſtratum filij, familiæ decus, nomen imperij: ſic ego mihi certè huius qualiſcumque honoris ſolatium paterno deſiderio permulcendo non inviderì meo iure fecero ſi flagitem. Iam in illo quidem adipiſcendo magiſtratu vis ſortis & caſus temeritas verſata quædam eſt; quæ ab hac contentione vir-

tutis removenda eſt procul. An enim ſic exiſtimas; virtutis ſemper prærogativam & meriti demandandis honoribus ſequi ſolere Fortunam: ſignumque certiſsimũ verę laudis eius qui nactus ſit imperium, iudicium ſortis haberi debere? Verum enimvero noſtra omnis in contentione rerum geſtarum, non in ambitioſa iactatione nominum diſputatio verſatur. Vt illa ſortitio militaris Magiſtratus aliquid forſitan ad tuum ſolatium, ad cauſam quidem ſuſceptæ contentionis attineat nihil, Quemvis enim alium vel ignaviſsimum ad eam poteſtatem vocare potuit beneficium ſortis. Quod ſi eſſet factum, gereret ille ſanè Magiſtratum, eatenus quippe ſortis arbitrium eſt, magna quidem opera & illuſtria facinora, quæ virtutis ſolius ac fortitudinis ſunt, illa infirmitas non attingeret, aut omnino cogitaret. Iam ipſa conſuetudo & communis vſus, qui vnus optimus interpres habetur legum, ſatis apertè declaravit ſolemne huius laudationis munus ad Tribunorum Militarium, vel Imperatorum cognatos aut gentiles tamquam aliquid peculiare ac proprium velut ex officio non pertinere. Si enim hoc ita eſſet, pridem id videlicet conſtitutum & præiudicatum fuiſſet; neque vllus hodiè huic quæſtioni locus relinqueretur. Quare ego ſic ſtatuo, atque hoc in mea oratione pono: nullius obnoxiam prærogativæ dignitatis in eo munere demandando poteſtatem populi eſſe: & cuivis omnium, tametſi is neque Tribunus, neque Tribuni filius aut Pater ſit, committi partes dicendi poſſe. Ac idem tamen cenſeo eius in hoc potiſsimum habendam eſſe rationem qui primas in bello virtutis tulit. Nunc qui eos ſibi fines circumſcripſerit, eum video ad iuſtiſsimam de hoc dicendi munere contentionem Miltiadem provocaſſe, Huius enim cum ſummam omnes intelligunt in

eo prælio extitiſſe virtutem: tum ſi quid etiam vtendum eſt lege adverſarij, idem Imperator fuit, quæ eſt poteſtas Tribunitia haud paulo amplior: cæterum eo Patre editus qui ſummam & ipſe in alio bello poteſtatem egregiè adminiſtraſſet. Quamquam hoc quidem ab hoc tempore & ab hac diſputatione remotius eſt. Iam hic vir talis ac tātus cū ab hâc contētione ſe abſtinuerit, nobiſque cōceſſerit, ſatis, opinor, declarauit, non ab excelſo progreſſos honoris gradu quem ille ſummum obtinuit, ſed ab excellenti virtute, qua tametſi ceſsit nemini tamen ſuus ipſum pudor prædicare vetat, in hunc dicendi locum invadere oportere. Age igitur hac lege cauſa ab vtróque noſtrum; hac lege ius nobis dicatur: quando tot illos aſpicis &, quod tuus filius fuit, Tribunos; &, quo tantoperè te iactas Tribunorum Patres, tamen ab huius laudis contentione conquieſcere: qui ſi in commemoratione dignitatis aliquam ad huius cauſæ victoriam ſpem collocaſſent: næ nos ambo haberemus eos vehementes competitores honoris, non, vt modo ſunt, æquos diſceptatores controverſiæ. Ego tamen non malignè agam tecum. Non ita laudem omnem filij tui neceſsitati impoſiti Magiſtratus tribuam nullum vt locum relinquam virtuti. Fuit in illo ſanè quædam, extitit etiam atq; eluxit vis ingens animi. Etenim cum implere præclarè nomen imperij, & defungi cumulatè poteſtatis officio potuiſſet ſi modo in prima acie conſtitiſſet, tamen & ſtationem ordinis neceſſariā alacritate liberæ conſtātiæ commendauit: & penſum officij, debitamque ſorti, expectationi, iudicijs hominum, operam, voluntarij facinoris acceſsione cumulauit. Meus vero non reſpectu non conſcientia poteſtatis, neque in militaris imperij faſtigio omnium oculis & iudiciis propoſitus: neque nomen impoſitæ dignitatis, ſed in-

ſitæ ſibi virtutis omen & auſpicia, liberumque du-
ctum expedita alacritate ſecutus, eum in apicem gloriæ clariſsimis edendis inuſitatæ fortitudinis documentis aſpirauit, quem omnes ſcitis. Itaque Callimachum quidem lex ſtare coëgit in acie: Cynægirum conſilium generoſæ mentis eduxit in Barbaros. Et ille quidem ſi pelliculæ timuiſſet ſuæ; ſi conſulere timiditati ignavia voluiſſet omnium in ſe conuerſos oculos non poterat fallere: huic meo, ſi remiſsè re gerenda ſalutis quam gloriæ rationem habere maluiſſet, obſcuritas anteactæ vitæ præclarum tegumentum obtendebat inertiæ. Ad hæc maior natu Callimachus, & rerum vſu, & firmitate virium majore, deſiderio minori ſollicitatus vitæ, qua diutius fruitus erat, & breuiores iam eius reliquias adeundo periculo contemnens, multa ſanè habuit incitamẽta omnis generis ad vnam laudem: neque quidquam mirum ſi tantis totque vnum animum perurgentibus ſtimulis, ad flammam periculi ſplendore provocatus affulgentis gloriæ accedere propius auſus eſt. Adoleſcentulus vero Cynægirus vixdum egreſſus ex Ephebis; non ita procul à carceribus longè amplius curriculum deſpiciens vitæ, magnanimitate vtique maiori ſpem diuturnæ vitæ, ſummis patriæ temporibus præſentis momento gloriæ commutavit. Cuius laudis, ſola inductio generoſæ mentis, & incredibilis conſtantiæ robore ſeptus iuuenilis animus ſe fretus vno, decus omne ac meritum tulit. Nullam hinc ſibi partem experiẽtia, in rudi rerum adoleſcentulo: nullam robur corporis in illa ætatis infirmitate decerpit: Niſi ſi quis hæſitationem imperitæ adoleſcentiæ; imbecillitatem nondum corroboratæ iuuentutis magnum quoddam ad magna audenda addere ſtimulum & momentum credat potuiſſe. Præterea Callimachus primo hauſtus pugnæ impetu perijt; vel in ipſo cer-

te ardore certaminis, cnm penderet adhuc incerta victoria: qua ille opportuna morte multis ſanè graviſsimis qui ſuperabant, laboribus ſua quadam fortuna ſubtractus eſt: Cynægiro non breuis quidam & citò euaneſcens, ſed æqualis pugnæ quanta fuit ſpiritus ad fugam vſque ſuffecit hoſtium. Vt illius virtus quadam tantum pugnæ particula probata ſit: huius confecta fortitudine res omnis, ac debellatum fuerit. Ille in medio tumultu & trepidatione omnium obriguit & ſtat defixus adhuc. At Cynęgirus impactam in mare confregit Aſiam. Atqui egebat illa ſanè pugna non congelatis & adſtrictis, ſed expeditis & inſtantibus militibus. Cæterum fortitudinis, magnanimitatis, induſtriæ, roboris, conſilij, mentis, tot virtutum opus eſt hoſtes perſequi. At in vno vt quis perſtet defixus veſtigio ſtupore plerumque & inerti metu fit. Quid quod prior mortuus Callimachus eſt, Cynægirus poſtea. Nempe & pro corpore Callimachi pugnavit viuus. Et eius nunc beneficio honore fruitur huius funeris Callimachus. Vt omittam Callimachum ex ijs quæ paſſus ſit inſignem euaſiſſe; quem ſylua telorum hoſtilium tot, ne caderet, tibicinibus fulcijt: Cynægirum ex ijs quæ fecit adeptum laudem, qui manus ſuas tamquam armatas claſſes poſt Barbaros miſit; ne vulgus quidem nauticum ac remiges Phœnicum à vi ſua atque impetu immunes volens. Quantò igitur agere quam pati tum in ſe nobilius, tum in commune vtilius eſt; tantò laude & admiratione dignus maiori Cynægirus quam Callimachus. Nam certè vigens ipſum ac ſpirans conſilium, atque impetus ad præclara ruentis animi, magis propria laus eſt, & ſanè dignior cuius in æquo iudicio ratio potiſsimum habeatur, quam ſi quid erit à caſus temeritate commodè comparatum. Cynægirus enim volens vidénſque ad certiſsimum

periculum manus ſuas audaci illo patrando facinore projecit. Callimacho ſtatus ille minax à telorum ingruenti congerie improviſus incidit non volenti. Neque vero ille ex alacritate animi ſe deuovit vltro, aut manus hoſtium in ſua vulnera provocavit, vt fecit Cynęgirus, tum cum extendit in navem manus. Itaque quod in Callimacho admiratione dignatur, id mortuum demum quiddam eſt & ſenſu caſſum. Stetiſſe quippe poſt mortem rigidum, ſpeciem quandam ad aſpectum habuit inanem, ad veræ quidem laudis prædicationem momentum nullum obtinet: cum ſatis conſtet inanimam non eſſe virtutem. At Cynęgirus videns & ſciens & doloribus acerrimis cum manus abſcinderentur pro ſalute & gloria totius exercitus invictæ patientiæ robore exhauriendis, firmitate exaggeratæ conſtantia, decus virtutis, gloriam civitatis, ſpem ſempiternæ laudis, omnis acerbitatis ſenſu antiquiorem habuit. Vt hic quidem ab neceſſarijs, à me téque, imo æquè ab omnibus, & ob ea quæ paſſus ſit admirandus, & laudandus idem videatur ob ea quæ geſſerit. Quod ſi etiam oportet nihil tergiverſantem liberè id dicere quod res eſt, inopinata illa ac tantoperè deprædicata Callimachi mortui ſtatio nihil quidem eſt. Nihil enim iam is prorſus agere omnium poteſt qui animam ſemel egit. Cynægiri quod laudatur facinus à vivente ac vidente, tanto periculo, tanto animo geſtum, mera virtus & fortitudo fuit. Enimvero Callimachi ſplendor omnis ille divinus huc tandem recidit; hæc omnium non prædicatione ſolum, ſed veneratione etiam, ſi Dijs placet, digniſſimi operis, en hæc ſumma eſt: habitus iners immotúſque tranſverberati corporis. At quota pars illa noſtræ laudis? Nam & meus Cynægirus ſtetit in acie, nec ſolum ſtetit. Et eius elegantem hauſerunt ſtantis ſpeciem Bar-

terea reflexo impetu Athenas curſu petijſſent. Et arcem vtique ipſam, quantum quidem per Callimachum fuit, iam Medi tenerent. Si vero non dicam omnes, ſed omnino aliqui Cynægiri ſimiles extitiſſent, pœnas nobis profectò maiores viliſsima illa regis ſuperbi mãcipia dediſſent. Omnes ibi eſſent in littore occidione occiſi: potuerúntque Barbarorum res iterum labefactari naufragio, ſed terreſtri. Jamque adeo capitibus omnibus in ſervitutem tractis tanta illa claſſe potiremur; eſſetque modo præda qui terror fuerat, ſi quàm admirati ſunt omnes, tàm imitari Cynægirum pauci voluiſſent. Ad hæc Ecquem tandem terrorem hoſtibus, Ecquod amicis auxilium afferre potuit quem telorum ſylua obrutum contegeret. Nam ipſi quidem Barbari hoſte Callimacho in ſuum ipſorum certiſsimum propugnaculum erecto, tamquam extructo quodam inſani operis aggere, quales in Aſſyria viſuntur, ſuperbiſsimè gloriantes ſpéque inſolenti inflati jactare poterant; non ſolos Naxios, non ſolos Eretrienſes, ſed Callimachum etiam telorum ſeptum indagine comprehendimus. Quæ interim dum illi magnificè prædicarent, ſegnior enimuero ad omnem ardorem pugnæ miles noſter reddebatur, qui monumentum periculi, vexillum terroris, nobilem mortuum ſeſe oſtentantem latè, & pernicioſa ſtandi pertinacia ferale ſpectaculum ad certum horrorem oculis & animis inculcantem facere non poſſet quin intueretur. Vt qui tanto noſtro malo tanto hoſtium fructu ſteterit, à Medorum tunc quidem partibus ſtetiſſe videatur. Quid tu ſimile fili? quos tu animos? quam ad audendum alacritatem quam ſpem tuis commilitonibus ſubjeciſti, cum opere réque ipſa demonſtrares quem-libet vnum Athenienſium integræ Barbarorum expugnandæ naui parem eſſe? Cum tuas manus tam libenter, tam facilè, quam alii ſa-

BIBLIOTECA NAZ.

que ab Arcadia Pan accurrit. Non iam temerè huic Ceres & Libera intereſſe pugnæ voluerunt. Erat id ſiquidem ſpectaculum Diis ſanè dignum. Hôc te fili te alumnum præſens in certamine confeſſa Pallas eſt. Hoc in agone tua virtus Herculis & Theſei palmas ac decus attigit. Nam tauros illi quidem & Leones,tu florem & robur Aſiæ totius vnam in claſſem collectum tam incredibili robore iuuentus es qui trahere poſſes. Illa erat videlicet illa veriſſima Minervæ haſta dextra Cynęgiri. Hæ Deorum illæ proſperæ ac ſalutares faces vegeto ingenuæ libertatis ſplendore,radiantes. Nunc primùm poſt natum hominum genus naumachiam in terra vidimus Nunc primùm compoſitos æquo certamine virum & nàuem. Nunc primùm hominem cui proræ inſtar obtineret manus. Nunc non excipiendo proræ involantis, ſed ſiſtendo fugientis impetui parem dexteram. Nunc eodem puncto temporis iniectam manum & victam navim. Non enim abſciſſa putanda eſt a corpore, ſed tamquam in coloniam volens dimiſſa. Iamne etiam illius prioris dignitatis ſuæ meminiſſe Callimachus non deſiſtit, qui dolores quos non ſentiret pertulit, meo quos ferebat acerbiſſimos tam ſentiente quam diſsimulante. O peculiaris animæ dignam dexteram! ſic tu naves vt Callimachus tela tenuiſti, vlta commilitonis & civis necem. O novum & audax conſilium! tantæne moli remoram facere parabas. O fili! ô ingens miraculum!hoc tu Orbi novum ſpectaculum princeps prębuiſti, ſic immotæ cohibente manu, tanquam iactis & fixis anchoris, navis. Quis iam referat quæ arrepta navi locutum te memorant fili. Nexum direptam repeto. Inſulas Ægæi Maris repeto. Hæc reddite. Nec iam fugam cogitate, nec ſperate. Hæ tuę voces. Hæc mens, hic animus hæc conſilia maiora quam ferre aut capere natura queat. O hu-

manæ imbecillitatis oblite, cum audaciæ prævalentis animi infirma membra paria crederes! Itane cogitabas tot campis & montibus captiuam te nauim Athenas vſque tracturum? O Seriam & atrocem pugnam Panathenaicum ludicrum referentem! ſi copiam talium manuum habuiſſemus, nequaquam ex Ægæo mari ſaluos Aſia Barbaros recepiſſet. Exceperunt tuas, ô fili, tardè illas cadentes manus, hanc quidem ciues, illam vero ſocij Platæenſes. Reliquo corpori tamquam trophæo coronas certatim omnes impoſuere. Tu interim, ô nate, tamquam nihil incommodi perpeſſus, prȩterquam libertatis & patriæ oblitus omnium, trepidationem fugámque hoſtium alta voce caſtigabas. Quo infelices, quo tenditis? quid fugitis? ſtate, & ciuitates reddite quas diripuiſtis. Nihilo illi ſegnius in fugam rapi, voce illa ſua coruina inſuaui & barbara ſecum hæc ipſis exclamantes. O audaciam! ô inſanam dexteram! ô ingentem ô Heroïcum animum! Iam citò ni cavemus navem advertet hæc manus infeſto litori. Datide interim è ſuperiore loco parante caput illud inclytum victoris & viventis trophæi ferro deiicere, hærente autem & metu debilitatâ cunctante manu, hîc quidquid iam virorum quidquid virium in exercitu fuit vnam in Manum coëunt. Conatus irriti omnes cadere. vbique labor, concurſatio, tumultus, magna ſe vi verſare, torquere pro ſe quemque, nihil admodum promovebatur. Tum clamor ex conſternatione: ad qualem nos huc ô Dij dexteram adduxiſtis? quid hic, ô viri, quid æris inſtar obrigeſcente animo conſtricti metu quid ſtatis? quid cunctamini? aut ſtatim aliquis manum abrumpat illam; ſalutémque noſtram expediat: aut partim iſta ipſa mox navis oram atticam mari legens, partim turmæ equitum terra nos Athenas vinctos perducent. Ergo cum armis omni-

bus omnis generis vnam in manum iretur, alia quidem fruſtra fuerunt omnia, donec magnam aliquis molitus magna vi ſecurim, tamquam annoſam quercum aut ingentem pinum denique cecidit. Hic abſciſſa manu nihil motus, ſic prorſus tamquam nihil ſuũ ageretur, ita alacriter velut alienam manũ dedit. At qualem manũ quæ totũ occupare tantũ exercitum vna potuit. Quã in vnã converſa omnis acies, partim victa ſternebatur, partim non æquo marte pugnabat. Neque ſatis ratus ſi terram tantum fuſi cruoris & ex hauſti periculi teſtem haberet, ſua vulnera diviſit Elementis. Dignus talis cum eſſes, Cynægire fueras cui celebrata fabulis felicitas illa Briarei Deorum aliquo munere contigiſſet. quam tu mihi brevi centum iſtius generis inſtructus manibus Aſiam ſubiugaſſes vniverſam, cum illæ modo geminæ ad tantam ejus partem ſuffecerint quanta Naxum diripuit & vaſtavit Eretriam. Qui à te vix tandem elapſi eodem terrore quem tua illis virtus incuſſerat ſuum ſuis ſermonibus impleverunt Regem. Hæc enim erat illorum oratio commemoranda generoſitate hoſtium obtentum ignaviæ ſuæ quærentium. Ad viros quoſdam navigavimus, ô Rex, quibus cum manus abſcinduntur id vero illi ſus que déque habẽt. Quid viros dicimus? dexteras neſcio quas invenimus navibus integris in pugna pares. Vix omnibus Dijs omnibus hominibus annitẽtibus ægrè tandẽ à Cynægiri dextra nos expedivimus. Tuas igitur, ô fili, tuas manus feſtis carminibus gratulabundi celebrant Platæenſes. Tuam vero virtutem tua bellica facinora, iam audiunt iam prædicant Lacedæmonij. tuam gloriam occæcatus in pugna ſubito caſu Polyzelus ſecutus eſt ducem. Quæ geſturos aliquando Athenienſes in fatis eſſe ajunt occupaſti fili facere primus. Imperium invaſiſti maris. perfe-

rendis illis ictibus cum infido elemento Patriæ nomine æternæ amicitiæ fœdus iciſti. Et quaſi ſponſor pro nobis à Fortuna noſtra conſtitutus dextram civitatis vice mari dediſti. Frequentabit exempla tua poſteritas. Et in navalibus prælijs tua dextera celebrabitur. Comparabuntur ad naves arripiendas ferreæ manus ad tuæ formam efflictæ. Quippe tentabitur à Poſteris tua illa ratio ſiſtendarum & trahendarum navium. Qui te pugnandi modus autorem habuit multis ille percrebeſcet ęmulatoribus. Sed hęc hactenus. Quæ enim innumera reliqua ſunt tuę virtutis encomia ea in ſolemnem & legitimam orationem ſervare placet. Quid hîc ais ô Callimachi Pater. Etiamne adhuc putas tam magnificum atque ego habeo, argumentum te habere dicendi. Tuam fidem. Nam quam tu mihi ſtationem narras eſt Cynęgiri mànibus res gręca ſteterit. Illæ concuſſam & impulſã ſuſtinuerint. Illæ peſſum euntem jamque in caſum pronam erexerint Græciam. Conſeruauit ſanè tela Barbarorum prouidit que ne perirent corpus tui Filij: Cynęgiri manus tu ipſius, etiam Callimachi, veſtrum omnium quotquot cecidiſtis in acie, noſtrum omnium quotquot eius beneficio liberum ſpiritum adhuc ducimus. Græcorum demum omnium corpora manus Cynægiri ſeruauerunt. Abi igitur recede. Mihi crede ne contendas præfractius: dicam aliquid & de tuo filio dicam amplum & glorioſum quiddam nempe Cynægiri talis militis ducem illum & Tribunum fuiſſe. Tu vero ſepulcralem concionem quorſum ambias pater mortui jacere & ſepeliri renuentis. Quod ſi priuato officio ſepulcralem orationem debere te filio credebas, heus tu ſerò tandem aduertis animum, tam pridem eius exoluendi debiti tempus eſt elapſum, quam dudum eſt ex quo ſub telorum ſylua ſepultus eſt Callimachus. Sin lex tantum

& commuue commodum attenditur, vt ei muneri præficiatur non ſi quis id concupiuit maximè, ſed qui aptiſsimus iudicetur, eam ſciunt omnes eius generis me adeptum eſſe facultatem, vt ad hanc funebrem laudationem perorandam, me haud paulò magis quam ſit aduerſarius, idoneum, non arrogantem faciam ſi affirmem. Etenim Cynægiri pater ſum, & magnates inter non poſtremus, & haud minus lingua promptus quam filius manu. Sinite me hanc Tragœdiam exhibere ſepulcralem, & chorum inducere ob victoriam gratulabundum. ne quæſo ne inuideritis dramati Marathonio. At tu Æſchyle fili ſcribe mihi carmen illud, & marathonias pugnas vnius in fabulæ ſeriem ac corpus digere concinnè vt ſoles. Si vmquam in hoc genere aliquid fuiſti enitere nunc vt in gratiam Patris, in gratiam Fratris, omnem exprompſiſſe induſtriam videaris. Vos autem quæſo obteſtórque, Iudices, ne me hoc honore dejectum cum ignominia repellatis. Tendo ecce vobis ſimiles & cognatas manus ijs quæ pro veſtra ſalute pro veſtra gloria perierunt. Teneo ſermonem, vt illæ nauem, non elabetur. Sepulchrum arripio. Non patiar mihi eripi. Non ſinam me abduci. Non cedam. obire non deſiſtam & concurſare ſepulcretum. Non efferam extra pedem: Sic patrem Cynægiri decet. Poſſeſsionem iam nunc concionis adeo: commune ſepulchrum arripio, funebri ſuggeſtui manus impono. abrumpat eas ſi quis arcere volet, inflicta ſecuri. Tum te fili ſi laudare minus labitur, certe licebit imitari.

DIXI.

# ORATIO XVIII.

## LAVDATIO CALLIMACHI.

QVod ſapienter à maioribus conſtitutum piè ac religiosè noſtra Ciuitas tenet, vt virorum fortium cineres non tantum cōmuni ſepulchro de publico dignentur: ſed virtus etiam ac gloria ſolemni oratione celebretur: id vero ego ea maximè ratione laudare vehementer ſoleo, quòd eorum quæ præclarè geſta ſunt, haud alia plenior merces quam copioſa, illuſtris, & cum laude coniuncta commemoratio habeatur. Ac mihi cum ad ſolatium domeſticæ iacturæ, tum ad fructum priuati gaudij, abundè vtique ſufficiebat illa virtus mei filij vita animáque longior. Verum cum Callimachi filij nomen & memoriam in mea patris cauſa periclitari videam: neque id tantum nunc agi, cui potiſsimum communis concio tribuatur: ſed eius qui huic muneri præfectus fuerit, fortior filius, qui ab eo reiectus, virtute inferior ſit iudicandus, ſuſcipiam tua, Fili, tuíque honoris cauſa contentionem hanc: neque in periculo tuæ dignitatis huius diſputationis laborem vel inuidiam fas mihi eſſe putabo ſaluo patris officio defugere. Quidni autem capeſſam hanc cauſam hanc orationem quam mihi filij virtus incredibilis tam expeditam, tam facilem præſtat.

præſtat. Qua fretus ſic equidem affirmare audeo, ſic præ me fero, ſic prædico: vni omnium mihi maximè communem concionem tribui ius faſque eſſe propterea quod Callimachi pater ſim. Qui cũ adhuc viuens viuentis Cynægiri ductor & Tribunus fuerit ſi veſtris iam, quod Dij auertant, ſententiis inferior diſceſſerit, Magnam & inſignem à vobis ignominiam tũ magiſtratus eius, tum virtus feret, vterque immerito: cum ille veſtræ omnis habeatur victoriæ cauſa: iſta glorioſiſsimum omnium in theatro illo Marathonio ſpectaculum præbuerit viri etiam ſine anima pugnatis, & morte ipſa fortioris mortui. Atque ego illum erectum ac ſtantem, ægerrimè adduxi vt caderet & officia ſepulturæ pateretur. Nam veluti ne hanc quidem cauſam idoneam haberet cur de ſtatione decedendum ſibi putaret, ſic obfirmatus perſtabat, & ne communi quidem illi cæterorum mortuorum ſepulchri funeriſque deſiderio, vinci ſe aut ſuccumbere ſinebat, tanquam fateri ſibi turpe duceret, oppreſſum ſe atque obrutum totius Aſiæ collectis inque vnum incumbentibus viribus exhalaſſe tandem animam ac cecidiſſe. Fortem ſane ſe ac ſtrenuum boni ciuis, viríque optimi filius Cynægirus hoc bello prębuit: non inficior: An fortiſsimis ac ſtrenuiſsimis propterea præferendus ſit? id vero cum modo quæritur, tum audacter nego. Tanto ſiquidem inferior ille Callimacho quanto iacentes, ſtantibus; erectis, afflicti; mutilum ac diſſipatum cadauer, integro ſtatu audacis mortui. Quemadmodum vero omnia contigerint dum expono, quæſo quod facitis diligenter attendite. Exſcenſum ad Marathonem fecerat Darij claſsis, poſtque omnes illas, quot in Ægæo ſunt mari vaſtatas direptas inſulas infeſtis armis atque animis in Atticam ferebatur. Hic ſuccurrendum. Conſu-

Barbarorum expromendam vim omnem ſuam, ſeque vtendum ſibi toto ſtatuiſſet; non cum omnibus ſolum illis conflixit vnus, ſed omnibus etiam iiſdem ſiſtendis, fundendis, fugandiſque ſuffecit. At quis hoſtis? quæ barbaries? quæ hæc colluvies erat? cuius ipſa oris, ipſa veſtis, ad terrorem efferata ſpecies, ipſa illa inſolentiſsima vultu, nutu, motu, immanis & belluina temeritas, clamore vario, incondito, immenſo, minaci, cuius deterrēdæ & frangēdæ conſtantiæ multo formidoloſiſsima viderentur. quæ meus cum tamen, velut inania terricula, pueris conſternandis, ſpernenda virtuti iam maturæ decreviſſet, terrorem ipſos in hoſtes refudit, quorum ingentem late ſtragem cum dediſſet, eò illos impotentis iræ, eò miſeræ neceſſitatis adduxit, vt omni omiſſa cætera pugna, vniverſa ex acie, vnum in Callimachum, vno circum ſimul impetu funderentur. Ergo hæc cura omnibus, hic vnus labor, huc certamen omne reciderat, collimare in Callimachum, & ſuis vnum omnibus ſagittis figere, deijcere inviſum caput, quo vno, ſic enim aiebant, Athenienſium ſalus niteretur, dum ſic ille perſtaret eodem ſemper loco futuras Athenas. Hic videlicet multas ille haſtas, contos, gladios tela denique omnis generis excepit plurima, nihil vnquam ad tantos impulſus titubās, tamquam ex adamante turris eſſet, aut murus aliquis firmiſsimi operis, aut duriſsima rupes, vel cum hominibus dimicans Deus. ita vehementiſsimos infinitæ multitudinis impetus, tamdiu ſuſtinuit, donec omnia totius Aſiæ conſumpta tela, omnes exhauſtæ pharetræ ſunt, vt ſuper cæterum laborem etiam ad penuriam miſsilium legiones regias adegerit. Per hunc modum longo tempore obnixus perſeveravit in corpore ſpiritus cum natura contendens, & negatam hominum generi im-

ta dexteram ipſe, vt incredibilem animi corporiſque infirmitatem vnum vnius membri vulnus proderet. At tu, fili, in præclara illa ſtatione tua etiam ſolvente Datide velut in quadam ſpecula conſtitiſti. tamquam id tua generoſitas obſervaret ecquando tandem aufugiſſent è conſpectu Barbari, puruſque ab omni hoſte campus Marathonius eſſet, vt tum demum caderes cum peregrinum teſtem tui caſus haberes neminem. Hæc me in funebrem ſuggeſtum euehunt. hæc concionem mihi ad commune ſepulchrum attribuunt. Meum eſt in illâ turba, cuius cauſa hæc comparata celebritas eſt, meum, inquam, eſt quod excellit ac dominatur. cuius eſt ſepulchri caput ſit eiuſdem æquum eſt ſepulcralis concio. Ac illum quidem meum, vi adhibitâ, vix dimovi tandem, vtque cum commilitonibus jacere vellet adduxi. ceſsit. perſuaſus tandem eſt. commune ſepulchrum ſubit. dignus ſanè qui mortuus in funere non deteriori conditione habeatur, quam quæ viventis in caſtris erat. dignus cuius patrem hoc in eius gratiam dignandum honore cenſeatis, vt ad commune monumentum dicendi munus ei potiſsimum tribuatur. Quid enim æquius quam cuius viventis ampliſsima in exercitu præfectura fuit, eiuſdem in celebritate funebri primis honoribus deferendis præcipuam haberi rationem. Nos in hoſtes duximus, nos eos aſſecuti confecimus, noſtra in armis, in labore, in pugnâ, pars pluſquam virilis fuit. nobis ſervetur in diſtributione laudis meritus locus. penes nos militaris teſſera vivos, penes nos inſignia poteſtatis erant, ſi nihil in morte commiſimus cur ijs indigni videamur, proſint ea iura, ea præiudicia mortuis, ad ſolemnis laudationis munus auferendum. Ne læſeritis Callimachum etiam poſt mortem, vt ex eius facinore intelligitis, ſentientem: ne ere-

ctum illum, qui tanto veſtro bono ſtetit afflixeritis. neve adminiſtratorem belli qui tantam vobis peperit victoriam honore dejeceritis. Neque tam male de illo mereamini, vt veſtris ſuffragijs veſtris iudicijs vni & alteri neſcio cui de turbâ victorum militum exæquatus, imò inferior ſummo ſuo dedecore diſcedat. Non enim appellationibus glorioſis, non demiſſo ad venerationem corporis habitu non veſtis authoritate ſolum atque ornatu declarari imperij majeſtas & affirmari debet; ſed rebus ipſis operumque honoribus, dignari ius faſque eſt legitimos magiſtratus. Sic igitur vobiſcum reputate. ſi ſuperſtes vterque noſtri amborum filij de hoc honore contenderent, vtri tandem duorum adiudicandam victoriam arbitraremini? privato homini, an tribuno militari? facile opinor iudicium. Etenim quis optimè cæſos ea pugnâ laudaverit? an non qui princeps in periculo, princeps in labore fuit? qui inſtruxit aciem? qui ſua cohortatione, ſuo exemplo, ſuo conſilio, cæteráque omni egregij ducis providentia, id conſecutus eſt, noſtri vt milites tam ſtrenuos ſe præberēt, quàm Barbari magna ſua clade ſenſerunt? mihi quidem ſic vtique videtur. Vos vero quid cenſetis? nonne vel ſi paris tantummodo cum privato fortitudinis documenta Dux belli præbuiſſet, tamen honoris principatum prærogativam ſecuti magiſtratus tribuno potius quam militi tribueretis? Annon igitur per Deos immortales quem vivo Callimacho ſine vlla dubitatione tribueretis primatum dignitatis, eundem eius Manibus cineribuſque reddi æquum eſſe cenſebitis? nam ea profectò quibus præſens præſentem Cynægirum vinceret, nunc quoque habet Callimachus omnia. Vicerit porrò ille inſque apud vos ſuum obtinuerit, ſi mihi eius Patri hunc honorem præ cæteris aliorum militum

patribus demandaveritis. ſin autem hanc eius cupiditatem hanc ſpem fruſtrandam effectu ſtatuetis, dicite ergo quæ tandem vitam profundenti pro patria, civi; pro exercitu, Imperatori, propoſita præmia eſſe velitis? ſi hac in contentione veſtro calculo primas Cynegirus abſtulerit, quam veſtris ſuffragijs ornatus pompam ille ducet, hanc quo vultu, quo habitu, quibus inſignibus præclarè geſtæ poteſtatis, neglectus atque poſthabitus meus ſequetur? At ordo ipſe inſcriptionis in columnis quibus inſculpta ſunt iacentium hoc tumulo nomina, meæ cauſæ præjudicium haberi debet. Si enim in illa ſerie ſepulcralis Epigraphes præcipua eſt habita mei nati ratio, vt primo loco poneretur propterea quod natu maximus eſſet omnium, attingit etiam me quoque eius argumenti vis: & quæ illi inter commilitones prærogatiua ætatis principem locum aſſeruit, eadem me tam grandi, quam videtis, natu ſenem aduerſarijs præponit; qui ſi naturæ iudicium & ſapientum præſcripta ſequi velint, concedent partes dicendi ſenectuti meæ; ſolemnemque hunc ſermonem huius potiſsimum ætatis authoritati commendari æqui bonique conſulent, auditores potius beneuoli quam æmuli peruicaces. Cæterum vos Imperatorem Miltiadem ob rem eo die bene geſtam coronâ exornandum ampliſsimâ cenſuiſtis. merito ſane, ac, vt dignum vobis erat, ſapienter. Sed videte quid colligam. ſi enim ſummi ducis virtus honorem ſummum à vobis meritiſsimò conſecuta eſt: quid? Tribuni fortitudini nullumne apud veſtram æquitatem præmium repoſitum, nulla merces? Eſt autem id, in veſtra hoc tempore poteſtate ſitum. Si enim id quod equidem ſpero, veſtris me ſententijs recreabitis, tum vero quæ vna ad faciendam vitæ fidem ſtanti & erecto mortuo vox

in authores redundat. Sic enim videmus ſi quid auditores in ludo commodius prompſerint, laudem cenſeri præceptoris. ſimilis ſcenæ ratio, in quâ ſi quid elegantius moduletur chorus, poëtæ plauditur ei qui fabulam docet. Sic in re nauali ſi proſperè nauigatum eſt, non nautarum aut remigum ſed gubernatoris prouidentia factum creditur. Ita denique militum virtus in Tribunos & Imperatores refundenda demum eſt. Igitur in ijs quæ fortiter, quæ audacter, quæ glorioſè Cynægirus geſsit, auditorem ille quidem & miniſtrum ſe attentum & ſtrenuum præbuit; auctor certè omnium & magiſter Callimachus fuit. Ille ille cum clamaret ne oculis commilitones ne manibus, ne corporibus quidem peperceritis: hæc omnis Cynægiri laudis, omnis fortitudinis, omnis gloriæ, vox hæc artifex fuit. At ea quibus Callimachi gloria continetur, ita ei ſunt propria, nullam vt eorum particulam aut Cynægirus ad ſe deriuare, aut quiſquam omnium queat. Præterea Cynægirus cum illa inſana moliretur, adoleſcens præferuidus, præceps temeritate ferebatur. Prouectior ætate Callimachus: vt ille quidem æſtu iuuentutis elatus in ſtolidam confidentiam, hic autem, maturâ iam ætate vir ſtrenuus, ab omni ſuſpicione iuuenilis audaciæ liberam virtutem & vſquequaque probatam, iudicijs ſeueriſsimorum obtulerit. Itaque cum robore ac firmitate corporis nihil altero inferior eſſet, ſola illum maturitate conſilij, & eâ quæ ſine mente ac ratione conſtare non poteſt, virtute ſuperauit. Porrò Callimachus ſummis Græciæ temporibus ſub ipſam aciem ſupremi periculi ſe ſe barbaris oppoſuit. & quo modo noſtrum hoc mare patrium, apparatum ſuperioris expeditionis Barbaricæ opportuniſsima rebus noſtris tempeſtate corruperat. ſic ille redun-

acerbiſsimaque perpeſſu fuerunt: quæ autem voluntarius nulla neceſsitate, iuvenili libidine, ludibundus invaſit Cynægirus, aſſerta iam nobis victoria confeſsione hoſtium, neceſſaria fuga ſalutem expedientium, licentiam, facultatemque habuerunt aggrediendi ſummam, & nihil patiendi ſecuritatem. In ſumma illi ipſi, quantula eſt, gloriæ Cynægiri ſegetem Callimachus, & quaſi ſtadium apparavit. perculſi quippe Barbari priore pugna Callimachi, & terga vertentes præclaram noſtris, inſtandi fugacibus facultatem præbuerunt. quæ vero ſplendidè Callimachus ante iam geſſerat, quam eorum laudis particulam poſteriora illa & extrema Cynægiri decerpere ac ſibi depoſcere queant? Itaque amborum facinora ita comparata ſunt, vt de illorum altero hoc rectè affirmare poſſimus. virtutis opus id meræ fuit nulli exemplo debitum. Cum vero ſucceſsio inter illa temporis fuerit, conſtat, quod præceſsit facinus, in eo virtutem extitiſſe meram: quod vero effectum poſterius eſt; eius vtique exemplum nullam habuit vim ad eum excitandum qui iam prius egerat, cum eo tempore ne eſſet adhuc quidem hoc facinus natum. Ita prima illa fortitudo Callimachi quæ pugnæ initium dedit; opportuniſsimum & auſpicatiſsimum quoddam magnarum rerum principium & eorum quæ deinde proſpera conſecuta ſunt cauſa non dubia fuit. non multò ſecus atque fundamentum, reliquæ ſubructionis, aut carina, nauis ædificandæ, ſimiliaque multa quorum diuturnitas principiorum maximè firmitate nititur. Itaque illud non immeritò ſperamus Marathoniam hanc ipſam victoriam omen fore quoddam ad cæteras quæ deinceps erunt dimicationes cum barbaris. Sic porrò ſe res habet de facinore Callimachi; ſi cum facto Cynægiri comparetur. Interea

vero aduerſus tot illas vnus quæ in regio tum exercitu fuerunt gentes barbaras oppoſuit ſeſe. Ac Cynægiri profectò inconſultus & prorſus inſanus is conatus exitit. Siquidem quod illa audacia petere & ſperare videbatur, id enimuero fieri non poterat. Quomodo enim nauim cohibeat manus? quo de vmquam fando auditum eſt homine tam confidente, tam præualente dextera, qui ſi ignorauit quidem ſuarum non eſſe virium nauem ſiſtere, at ſperauit fore vt incitatæ remigio triremis impetum digitis eluctaretur. ſtolidum inceptum amens audacia. ſin id perſpectum habuit, quam eſſet id quod cogitaret arduum ſupra omnem humanam vim, tamen ne à rebus quidem quæ fieri nequeunt abſtinendam temeritatem præferocis animi peruicit audacia: Nę eius in toto facinore arrogantiæ vis intoleranda quædam ſimulatione turpi coniunctæ verſata eſt. Fuitque neque tuta, neque neceſſaria oſtentatio inſanæ molitionis eius rei quæ nullam haberet ſpem ac ſpeciem facultatis. ſtulta prorſus & immenſum quantum ab omnis ſapientiæ conſtantia diſiuncta cogitatio. Non enim immoderata, non inſolens, non phanatica, non væſana virtus eſt. neque ad eam vllo modo pertinent, quamlibet magni conatus qui amentia præcipiti occæcante temeritate ex effrænatis cupiditatibus, ad ſpes inſanas erumpunt. Ego vero ſtatuenti de merito facinoris, non id prius attendendum arbitror, quâ quis arte, quo modo, quibus motibus, quo impetu ad illud inuaſerit. ne id quidem quo minarum ſtrepitu, qua ferocitate verborum, quâ magnificentia iactabundæ orationis, animi virtutem in ſtrepitu ac ſono vocis conſumpſerit. At illud etiã atque etiam conſiderandũ, quẽ ſcopum & qualem, eiuſmodi ne quo aſpirare homini liceat. attemperatum ad naturæ vires, arduum

mari tenebit, iam te navis verius quam tu navim: captivum te: at cuius ducis? cuius militis? roſtri navis vnius. De multis audivimus terreſtris exercitus in claſſes ſubductas pugnis, de multis legimus. quandam etiam eius generis narrare alicubi Homerum memini. Num quidquam huic ſimile? num ibi quiſquam invaſit in navim manu? num traxit? ignem quidem illatum video, faces injectas, ſolam hanc Heroes illi viam ac rationem navis tenendæ putaverunt. Tuus autem ô Euphorion, filius, puer erat audaculus, qui corpori quidem non parcebat ſuo: rationem certè & conſilium quibus pugnandi ardorem regeret nec adhibebat nec habebat. Itaque ſtrenuam ſane & reipublicæ olim vtilem manum fruſtra per ſtultitiam perdidit. Præterea Callimachus quæcunque concupierat adeptus eſt omnia. multos exarmavit, omnes terruit, ſtationem tenuit etiam mortuus. Cynægirus tuus, hunc quem vides inſaniæ fructum retulit. Deinde Callimachum nemo vnus interfecit. commune illud facinus Aſiæ totius extitit. omnium in vnum aſpirarunt certatim iacula. tamquam delibare Callimachi corpus, & tantæ virtutis contagione imbui pro ſummo honore cuperent. Ergo omnia tela conſumpta. omnes exinanitæ pharetræ. ſtant adhuc circum & corpus obſident, tam multa illa tam varia tot gentium iacula, inter ſe contendentia, dum vnumquodque ſe mortem attuliſſe Callimacho gloriatur. qui ſunt omnes teſtes certiſsimi conſpirationis coniuratæ vnam in cædem vniverſę Aſiæ. Igitur mors quidem mei filij tantæ res molis fuit infiniti vt mortales in eo tranſigendo negotio elaborarint. At de Cynægiri dextera ab ludibundo lixâ facile & cito confecta res eſt, haud maiori labore quam cum tenellus ramus arbuſculæ ceditur. Iam hic erat ſenſus armorum Calli-

dum eſt. Sic dico ſic ſentio. facto potius quam conſilio, manu quam mente Cynægirus nobis nocuit, quid ergo? aliud quippiam ſuo illo furore ſecutum ſuſpicor. cum enim iam mortuum Callimachum laudibus ferri videret non intactus ambitione animus æſtuare repentè febriculâ gloriæ cepit. quid multa? cupivit aliquo ſe facinore commendare, atque à turba eximere. ergo illam ſuam glorioſam dexteram properavit perdere, vt nobilis ipſe quoque olim vna quædam ex Marathonijs hiſtoria fieret. Atque hæc ad excuſandum adoleſcentem incautum, bonum tamen & ingenuum. In noſtro autem facinore nihil quicquam excipiendum, nihil deprecandum eſt. nihil illic non vtile, non ſalutare patriæ; nihil à nobis ne per imprudendentiam quidem non è republica commiſium. Atque vtinam quam nulli pernicioſa Callimachi virtus extitit, tam omnes habuiſſet æmulatores. Debellatum eſſet eo die cum barbaris ſi omnes noſtri milites ſui ductoris ſe ſimiles præbuiſſent, cæſi, fuſi, deleti ad vnum omnes in campo fuiſſent. Sic melius intercludi fuga, ſic teneri, ſic capi certius vniverſa Perſarum claſsis potuit. naves omnes vectoribus vacuas ſine pugna cepiſſemus. ſin imitandum ſibi tentantem naves Cynægirum propoſuiſſent: ad inſtaurandam, vt dixi, pugnam & elevandam cladis ignominiam quamvis invitos barbaros revocaſſent. Quod igitur ad Cynægirum attinet nullum ille quidem admodum, aut metum hoſtibus aut fiduciam ſuis iniecit. Qui & nihil fecerit. adeoque inſtrumento, quo vno res maxime geri ſolet, abſciſsâ manu dexterâ, exanimatus repentè conciderit, ſic prorſus tamquam alteram non haberet. ac velut totam animam ſitam haberet in dexterâ. meum vero filium quiſque cum videret miles ſtantem in ordine; etiam ſi quem ig-

navia ad deſerendum locum vrgebat, pudor tam illuſtris exempli in officio continebat. Interea dum ad tantæ conſtantiæ ſpectaculum ſtupefacti & metu conſternati Barbari terga vertebant. Vno verbo Cynægirus cecidit, alter minimè. fingite autē athletas eſſe qui re ipſa ſunt milites & ita iudicate. vtrum tandem coronabimus? rectum an iacentem? ſtantem an dejectum? etiamne perges viro manum, vnum vulnus, ſexcentis; deſertorem ordinis, vivaci mortuo; truncum turpiter mutilum, etiamnum integro componere? navem ille dimiſit; hic ſcutum tenuit. I, nunc; cothurnos indue: tragœdias age quam multas, quam voles ſæpe. Siquidem Æſchyli pater es. montem ex manu facis. navale prælium committis ex ſicco. Datidem è mari pedeſtri pugna decertantem exhibes. operum hæc omnia veſtrorum ſunt. at at ampullas iſtas & phaleras omittamus. Tenuit Cynægirus navim, rudentis id negotium eſt, hoc longè melius anchora fecerit. Iſte arripuit, alter abſcidit. remoram hic facere abeuntibus conatus eſt; illi nihilo ſegnius perrexerunt. Quid hic ſingulare, novum, illuſtre, mirabile? quid eiuſmodi cur præferendus tribuno militari miles gregarius videatur? At manum in facinore reliquit. Quid tum poſtea? an hoc ille paſſus eſt vnus omnium. Viri Athenienſes, ſi cui forte veſtrum adire pugnæ locum, obire exercitum, circuire caſtra libeat. nę ille quamplurimos peius etiam quam hic habitos inveniat. hos quidem vtrâque pariter truncos manu. pedibus alios mutilos, vel vtroque vel altero, reſectis auriculis deformatum non neminem. multis abſciſſa capita, alia salijs corporis partes amputatas. Sat ne multos habeo Cynægiri ſimiles? At Callimacho cum omnes per videris parem reperias neminem. quis enim

vt ille ſtationis conſtantiâ fallens pro vivo mortuus? quis ita certus in pugnâ miles? Nunc te magis miror ô Callimache Fili. cum Cynægirum audio vnico ictum vulnere corruiſſe. O ſimilia multa perpeſſe vulnera, nec tamen mote. Te Perſarum quoque magnâ turba prætereuntium muliebris impotentia quâ exanimata corpora lacerabant, te, inquam, vnum eximium & ſanctum habuit. Ac cum in cætera paſsim corpora fœdè ſæviretur, nullus te Medus acinaces, neque Perſicus gladius, neque haſta Babylonia, neque ſecuris Phœnicia delibavit, perſtrinxit, aut omnino violavit. O te ſolum omnium non caſus tantum, ſed invidiæ etiam, odijque hoſtilis expertem. Perſtitiſti ſemper ipſo habitu corporis teſtatus victoriam. Et poſt exceſſum animæ, pugnanti ſimilis reſtitiſti. O ingens miraculum! nunc primum videri ceptus eſt immortalis mortuus. Iam nunc intelligo tuæ pulcherrimæ gloriæ, tuæque pugnæ præceſsiſſe tibi omen in nomine. Inclama nunc ad ravim, ſi lubet, Cynægirum tuum, cuius ipſa illa, quæ obſcura videtur appellatio, ſi quis indagare ſubtilius notationem velit, dudum ſignificabat exercitationem ipſum ludicram Barbaris, non negotium ſerium exhibituruum. Meus vero filius incredibili ſubnixus animi robore iuſtâ integrâque pugnâ ſuperior evaſit. Itaque iſta longè maxima gloria quæ in nomen græcum vniverſum ex Marathonica victoria redundavit, illi accepta vni referenda eſt. cum enim duces cæteri qui bello adminiſtrando ſummo cum imperio præerant multitudinem veriti ſuperſedendum pugna cenſerent, huius calculus fluctuanti, & æquis vtrimque libratæ ponderibus, de conſerendâ pugna, hoc eſt de ſalute Græciæ expedienda controuerſiæ, huius, inquam, vnius ſententia momentum & inclina-

tionem attulit ſalutarem. Ille nihil præuertendum prœlio: debellandum maturè cum barbaris: vtendum alacritate militum; neque committendum vt ardor animorum hebetaretur & langueſceret mora, quibus rebus ſalus noſtra continebatur, ſua ſententia vicit. vt non minus vtilem neque minus neceſſariam reipublicæ operam decernenda quam committenda pugna nauauerit. quare ſi quod amplum, ſi quod magnificum apud Marathonem ſuſceptum à quoquam & patratum eſt facinus: author eius & cauſa agnoſcendus eatenus certè Callimachus eſt, quo abſque illo fuiſſet vtique nihil illorum futurum erat quæ ex contracti certaminis occaſione ſunt conſecuta. quæ quidem ratio cum ad omnes pertinet qui ſuam ad Marathonem fortitudinem commendarunt, tum ad Cynægirum vel maximè. in quo ſi quis repugnare præfractius ſi contendere pertinacius porro pergat, huic ego cum 'interrogatiunculam vnam quandam oppoſuero, glorioſas iſtas manus det nobis oportet, ſeque vltrò victum fateatur. Age. ſane. refer ſis animum. ad hæc quid dices? audaciæ miraculum in Cynægiro prædicas. audio. at numquid ille audax vitâ tenus atque anima dumtaxat fuit? id tu negare módo ne poſsis nihil ſane laboro quibus te ſententiolarum axiomatis conſoleris. dicas licet quantum voles ceſsiſſe hominem ea ſorte editum, legi, & neceſsitati communi, neque vero inhoneſtum eſſe mortali, cum vis fatalis ingruit victum ſe à morte confiteri. hæc enim vt excuſandum Cynægirum faciant, certè Callimacho præferēdum numquam euincent: huius quippe virtus præter ſummam vtilitatem, illuſtris, etiam, auguſta, iucundiſsimaque ad aſpectum extitit, natura ipſa copioſor, ſupra vim humanæ animæ immortalitate ſua quadam propria nitens.

Ac fortes ſanè milites multos Macedonas reperias, Callimacho quem mors non afflixit, ne conturbauit quidem aut interpellauit, qui poſtquam iam vixerat, vicit, qui circumſcriptos omnibus mortalibus vitæ virtutiſque limites, fortitudine pluſquam heroïca tranſgreſſus eſt, vt gentes perſcruteris omnes neminem vnum qui comparari poſsit inuenias. O pulchrè pugnans! ô pulchrè vincens! ô te invulneratum: & innumeris telis tranſuerberatum. quis te ſatis, aut qua ratione pro merito laudauerit? non eſt Æſchyli, non Poëtarum, non Rhetorum huiuſmodi. maiores hæc tragœdia cothurnos petit. dignum argumentum, in quo diuinus Homeri ſpiritus, Heroïca vena, tragica vox impendatur. O ſcopum in quem omnis vnum conſpirans Aſia collimauit. O te prædicandum qui regium exercitum tua morte ſpoliaueris. qui ſpolia opima de Barbaris tela innumerabilia ceperis & tenueris. O Auguſtum anathema belli! O pulcherrimum ſimulachrum Martis! O non iam cadauer adminiſtratoris belli; ſed Præſidis exercituum & bellorum Dei ſignum ad viuum expreſſum, omnibus Aſiæ telis tamquam radijs vndecumque cinctum! O te ſolum omnium veriſsimam belli ſtolam indutum! O habitum ingenuum! O ſpeciem liberalem. ô generoſam. ô Marathone dignam. ô cuius erecto vertice tamquam Atlante cœlum ſublimis Græcia ſtetit. O natura maior. O duorum certaminum vnius cum Dario, cum morte alterius egregie victor! O exemplar officij viuentibus iuxta mortuiſque propoſitum! Tu tu virtutem quæ ſola eſſe ſpirantium putabatur etiam mortuis vindicaſti. O cogitationem, ô conſilium amplius vitâ! ô multis viuis pugnaciorem vnum mortuum! quid dico mortuum? habebat vtique, habebat mentem diuinam

in exangui corpore. ſecundam quandam, cœleſtem, excelſam, priore maiorem & multo maximam animam. quæ ex innatâ ſibi propriaque virtute tam conſtanter in prælio dimicaret. Tu primus inuentus es qui pugnam mortui cum viuentibus ſpectandam dares. Tu morte conſtrictus licet, eos quibus vegetis & præualentibus per vitam & valetudinem vltro citroque diſcurrere liceret ad certamen induſtriæ ad contentionem fortitudinis prouocaſti. Ac cætera quidem quæ ducis quæ ciuis erant perfecit cumulatè dum viueret Callimachus omnia. Profuſa deinde, vt pugnantem pro patria decebat, in bello vita corpus extinctum in immortalem ſpeciem ſtatuit & defixit. corpus enim hoc mirabile vt inter ipſum & diſcedentem animam conuenerat, ſic prorſus perſtitit. O magna, ô miraculo ſimillima ſtandi conſtantia! Eadem opinor quæ per terræ molem vniuerſam commeare & pertinere anima dicitur tuum quoque pectus obſederat. Tua ne te virtus robur fecerat ex homine, qui iactis tam altè radicibus niteretis. O Plantam ſolo Marathonico dignam. O te firmiorem inſulis. ô te integris vnum populis, defendendæ libertatis conſtantia clariorem. vaſtata omnis & direpta, claſsique impoſita barbaricæ fertur Eretria. Naxus vniuerſa quanta eſt, cum indigenis inquiliniſque omnibus contruſa eſt in naues. vnus inuentus Callimachus montibus conſtantior ſcopulis firmior. at terram quidem plerumque concuſſam ſcimus. & reuulſas innare inſulas fluctibus ventiſque iactatas viderunt homines. vnum hominem tam tumultuoſus, tam vehemens furor turbulentiſsimi belli, de mentis, ne de corporis quidem ſtatu dimouere vel tantillum potuit, O murus. ô propugnaculum publicæ libertatis, omni virtute quæ Atticum decet animũ exag-

geratum! O miraculorum quæ viſa apud Marathonem ſunt, maximum & diuiniſsimum! O inter prodigia quæ illic oblata memorantur eximiū vnū maximè! Conſtitit eleganti generoſaque ſpecie mortuus nihil à primo quod impreſſerat veſtigio quidquam dimotus, mortuum diſsimulans, caſum pro ſumma ignominia cauens, vicaria quadam digreſſæ iam animæ virtute inſtinctus, cœlum quo aufugerat ſpiritus intuens, iter oculis legens viam metiens, & deſtinans, ac pæne oblitus molis ad aſſequendam animam impetum capiens. Dicam equidem quod ſentio. laborat in hoc fides, tantamne eſſe potuiſſe vim exanguis & frigentis ſarcinæ? animam credo ipſam cum exturbata telis ex corpore eſt non continuò aufugiſſe ex acie. ſtetiſſe iuxta ſua tenuitate fallentem aciem. rem cominus & ſtrenuè ex occulto geſsiſſe, ac præſentem tenturam ſe corpus, ſuſtentaturam infirmitatem, prohibituram caſum recepiſſe. O tuam mortem magno prodigio cohoneſtatam! hoc illud tandem quod vidiſti Polyzele ſpectrum Callimachus, ſi neſcis, fuit. conuenit ſanè ſpecies quæ oblata tibi dicitur, cum ſtudio & animo Callimachi. qui dum viueret infeſtus ſemper atque intolerandus hoſtibus, inſatiabili pugnandi cupiditate inſiſtens, vltrò dictis hoſtem laceſſebat, cum ita clamaret. O viliſsima Darij mancipia. non hic Scythæ, neque Iſter fluuius, non incertis ſedibus ſemper vagæ cateruæ Nomadum. non hic familiæ, & domus in plauſtris. quæ vos tamen, tam prauis eſtis animis, miſeris Hamaxobijs inuidiſtis. Sed atticam videtis, & ſtirpem Pelopis. ex tali ego genere tali in ſolo hic nunc conſiſto. hic maneo. Qui primus malè perire cupit, accedat. Figunt, tranſuerberant imo quibuſdam quaſi floribus coronant me vndique tela veſtra. tamen adhuc dico: figite me quid cunctami-

ni? quin agitis? quid iaculis parcitis. reti me quodàm, aut crate, ex decuſſantibus ſe perplexo telis circum, ſi placet, cingite. indagine me bellicâ circumſepite, ne quà vobis elabar. quis Datis? quis Intaphernes? En adſum paratus. omnes vnus prouoco. mactet euge me aliquis. me quoque Rex, ſi poteſt, euerriculo concludat. Poſtea vero cum iam irritati barbari, quidquid apud ipſos telorum fuit in eum coniecerunt. Hic mille licet locis perforato pectore, gaudebat tamen in ſinu. ſibique ſic gratulabatur. Spoliauimus Aſiam. Tum commilitonibus denunciat. imperat. vrgete, tundite, fodite aduerſos Medos: ne telis, ne gladiis parcite. conſilium & ſtratagema eſt meus hic qui videtur caſus: omnia de induſtria in me attraxi tela. quo nudatos eos impunè conficeretis. ite, cædite, inermes. nullum ipſis iam telum mea vulnera reliquum fecerunt. Iam quod ſtudium, quæ collimatio, quantus labor barbarorum fuit? omnes in vno eniti, vi, aſtu, manu, ratione, oculo, conſilio, negotium idem omnium, hoc deſtinare, hoc petere, pro ſe quiſque omnes. ſi molem illam conſtantiæ quæ ſibi iter Athenarum intercluderet deijcere poſſent: nihil illa titubabat; vana omnis molitio, labor inanis, nullus impetus impellere, nulla vis conuellere, nullus conatus refigere conglutinatum & & defixum in veſtigio virum potuit. Itane vero qui tantas tot propugnaculorum manu naturáque munitiſsimas expugnarunt & complanarunt moles. qui procelloſi Boſphori furores eluctati illi indignanti licet ac omni ſæuitia renitenti freto, iugum ſuperbi pontis impoſuerunt, qui in hoc valuerunt vt maris Scythici fluctus tempeſtateſque frangerent, Eos tales, tam minaces, inuentus eſt qui ſiſteret, qui ſperneret, qui eluderet, vnus homo Callimachus. Ergo in illa procella, re-

ciprocantis alterno æſtu prælij omnis intentus arcus in Callimachum, omnis oculus erat. hic iam certiora ipſi à ſe ipſis vulnera quam intulerant patiebantur, ſi attigerant, merces operæ præſens; ſi aberrauerant, erroris cumulus cædes erat. ingens circa Callimachum dabatur ſtrages. formidoloſus illo in æquore ſcopulus hic quidam Barbaris extabat, minaci erectus ſpecie. in quem ſi quis fluctu quodam tumultuantis turbæ iactatus abriperetur, is velut impacta ventis in ſaxum mari prominens nauis haud dubie colliſus conterebatur. tali enim conſilio in eam ſe partem obuerterat. hæc eius omnino mens erat, hæc ſpes, hæc cogitatio cum truci obſtinatione animi, vultum totumque corpus mare verſus obfirmans ſuprema hac ſeipſum voce commoneret. ſta Callimache. nihil hinc te moueat. Interim Barbari omnibus viribus, omnibus machinis, tanquam in murum firmiſsimum inuecti, nihilo plus quam antea proficiebant. quin ſui ipſis in impedimenta vertebat apparatus. ſiquidem tot tela quibus illum fixerant difficiliorem eundem aditu dejectuque præſtabant. haſtarum illa quâ horrebat ſeges, ſepes erat, & munimentum expoſiti alioqui corporis, quod ſuis vbique innumerabilibus plagis quibus nulla pars vacabat, á periculo omnis noui vulneris tectum erat. Ergo ex ijs multi qui ſui ſecuri, intenti in Callimachum, in eo expugnando laborabant dum hoc agunt ſuorum ſagittis ex diuersâ parte à ſcopo aberrantibus, confixi peribant, vt ſtans ille circumſtantium plurimis cadendi cauſa foret. quæ Datis cum cerneret iræ iuxta mentiſque impos atque conſilij frendebat enimuero tot myriadas in vno mortuo fruſtra laborare tamdiu, ergo iracundia præceps inuiſum mortuum diris deuouebat. Tum ſuis Barbaris. non ibitis, aiebat,

non deturbabitis, non tolletis de medio, non proſternetis glorioſè contumacem mortuum? ô Hominem mirabilem! tibine hoc ignominioſum putas fore ſi à trecentis armatorum millibus circumuentus occubueris? adhuc manes? adhuc pugnas? quot age dic nobis, quot tibi adhuc reſtant animæ? heu me miſerum! vincat nos, proh Iupiter mortuus Athenienſis, iam tela condite, arcus remittite. nollo lædatis, nolo occidatis. robur additis Athenienſibus ſi vitam aufertis. mirabile iſtuc genus hominum: pugnaciores morte fiunt. quis tibi author Rex Darie ſtulti conſilij; quantum tu hic nobis negotium impoſuiſti. quantum vero tibi ipſi impoſitum eſt, qui hoc perſuaſus es: vinci Athenienſes poſſe. Immortales inimicitias cum immortalibus hoſtibus mortalis ipſe ſuſcepiſti. quid nos in iſtos non Macrobios ſed æternos, ſed poſt mortem viuaces homines quid tandem poſſimus? neſcit iſta gens cadere quam nos ignari rerum conculcatum veneramus. quas Medi, quas Perſæ hactenus pugnandi artes & rationem in pretio atque in vſu habuerunt, leue quiddam hîc & futile, nullamque prorſus in hoc genus vim habent. Athenienſium mortui pro viuis pugnant. magnam patrem prælij exanimi vnius cadaueris confecit dexteta. Regius interim miles, ipſum erectum ex aduerſo coniectis ex omni parte haſtilibus, circumcinctum & trajectum vndique, cum cerneret, fugiamus, exclamabat, conſcendamus & ſoluamus naues. iam enim iam, tropheum Athenienſes erexerunt. Hæc ſentiendi, hæc dicendi de nobis occaſionem Barbaris fili prębuiſti. O venerandũ terminum belli! ô columnam velut herculeam quam vltra ire pugnando poſſit nemo! ô fautorum præſidũque Græcæ rei Deûm dignum ſpectaculum! Tibi quidem Pan fauit, tibi auxi-

liatus vltro eſt. tibi eídem applauſit Iuno. Te armata Pallas in periculo obtentu ſuæ protegebat Ægidis. Te circa ſtetit Hercules. adſtitit Theſeus, iactabundâ ſpecie ſe oſtentans & glorians ſuæ vrbis ſuorum nepotum tam diuinam eſſe virtutem. his tot Deorum, hominumque præiudicijs, te oportet vtique fili honoris principatum inter cæteros ad Marathonem cæſos obtinere. mihi quoque tuo patri præ cæteris concedi iſtud æquum eſt quod poſtulo munus ſolemnis in te tuoſque milites laudationis perorandæ. Abi igitur, ô Euphorion, ito age, tuumque illum humi afflictum, in cadauerum turba conculcatum mortuum ſepultura dona. concede tumulo manum quam inflicta ſecuri calonum Borbaricorum abrupit aliquis. Si tamen aliquis: & non muliebre inſtrumentum à manu ſui generis impactum eſt. Cæterum quicumque tandem vir aut mulier, non ardui facinoris author extiterit. is cum illam manum abſcinderet, ſuũ aliquid nihil veſtrum violabât. Tum enim illam abſcidit cum non iam membrum Græci militis, ſed roſtrum barbaricæ nauis erat. hic finis verborũ grandium, huc ampullæ illæ gloriationis minaciſſimæ reciderunt. hæc intemperantis, cæteriſque membris omnibus impotentioris linguæ ſuperbam ferociam hæc pœna compeſcuit, hæc contudit. Ac cæterorum quas abſcindere potuerunt Barbari Græcorum militum manus. pro templorum ſuſpenſæ foribus proſtant funiculis in pugnum conſtrictæ. Iſta vero tantopere iactata Cynægiri dextera à prora quam inuadebat ſtatim & facilè repulſa eſt; cum ne eatenus quidem adhuc ſui cogitati compos eſſet facta vt lignum carinæ ſidoniæ tangeret. Tu autem ô fili antiquam noſtri generis gloriam factis tuis affirmaſti, veriſsimè enim authores noſtræ gentis veteres illi tres pueri indi-

# ORATIO XIX.

## DISSVASIO PERSICÆ SOCIETATIS.

*PRocopius libro* 1. *Perſicorum laudat Arcadium Imperatorem quod Ieſdegerdem Perſarum Regem & Imperij Romani & Chriſtianæ Religionis hoſtem filio ſuo Theodoſio tutorem Teſtamento dixerit. Agathius libro* IV *Idem ab Arcadio temerè factum, à Procopio imprudenter laudatum contendit. Nos hinc occaſionem ſumimus Orationis, quâ Senatorem aliquem ex primis Arcadio in ſupremo morbo talia meditanti periculoſum conſilium diſſuadere conatum veriſimiliter fingimus.*

QVod ex ſapientiſsimorum hominum diſputationibus eruditiſsimis profectum vulgarem ad loquendi morē emanavit, Auguſte, Caput eſſe Reipublicæ ſummum Principem, id adeò nulla unquam magis alia res, quam iſte ipſe caſus luctuoſiſsimus tuæ valetudinis experimento certiſſimo comprobavit. Sicut enim hoc videmus, affecto quoquo modo ac laborante capite, cætera membra languere omnia, nec vigorem poſſe ſuum aut ſtatum tenere; ita poſtquam te huius triſtiſsimi

fonte nobis omnia manabant bona, oſtendi perni-
cies, intentari exitium cœperit. cum tua inquam
(quid enim diſsimulem?) illa ipſa qua ſupremùm
rebus conſulis voluntate, Homini Barbaro, falla-
ci amico, Hoſti certiſsimo, religionem quam aſper-
netur, ſacra quæ polluat, libertatem quam oppri-
mat, iura quæ violet, bona denique omnia ac cō-
moda, rem, ſpem, vitam, ſalutem, ac capita noſtrū
omnium Ieſdegerdi Perſarum Regi ad libidinem
conculcanda, ad perniciem profliganda, proieciſſe
dicaris atque condonaſſe. Enimvero laborat in hoc
fides, nec induci meum in animum poteſt, à tua
conſtantia, ſapientia, prouidentia tam abhorrens
atque aliena cogitatio, quid enim non dicam nobis
miſerius, quos certè diligis: non dicam Religioni
perniciosius quam profectò curas: non dicam fra-
tri tuo Imperatori Occidentis Honorio contume-
loſius, quem obſervas & vereris tamen: ſed tibi
ipſi, tuæ familiæ, tuis liberis, tuæ denique famæ
atque exiſtimationi funeſtius poteras conſulere,
quà, vt ſupremis tabulis, quod te feciſſe ajunt, tam
avido ac voraci lupo tantum ac tam opimum ovile
commendares. Caue enim Auguſte aliam de Ieſ-
degerde opinionem animo concipias quam prudēs
& certa ratio, tum cautionis ſecuritas, publica
denique ſalus requirat. Quantumvis ille ſe ami-
cum ſe fidum ſimulet, homo tamen eſt; nondum
dico Barbarus, infidelis, Chriſti eiuſque culto-
rum ſectæ profeſsione contemptor, inſtitutione
hoſtis; ſed homo certè eſt aſſuetus & innutritus
imperio: cuius rei quanta ſit vis quis non perſcrip-
ſit ſapientum? Magnus omnino magnus & incredi-
bilis ad imperandum & ditionem latè propagan-
dam impreſſus humano generi à natura rerum ip-
ſa impetus quidam eſt, cuius incitatione præcipi-
tes per abrupta omnia ruere ſolent quibus per

denſiſsima & præſentiſsima pericula aura quædam affulget vel imbecillæ ſpeculæ quoquomodo principatûs obtinendi. qui cupiditatis ambitioſæ ſtimulus cum omnes aſsiduè pungit vbique mortales, tum eos præcipuè qui geniti in imperio, & excepti natali purpura, ita ſe natos ad imperandum putant vt indignam rem exiſtiment, ſi qui præter ſe terrarum uſpiam aut ſuis legibus homines & æquato civitatis iure degant, aut alios regio iure & autoritate moderentur. Implevit cruore terrarum Orbem huius inſtinctu mali Alexander Macedo. quique illi rerum fortiter feliciterque geſtarum illuſtri gloria comparatur C. Cæſar, cum exitio ac ſtrage totius humani generis ambitioni viam ſterneret, vnam illam in ore atque in conſilio vocem habuit: violandum ius eſſe regnandi cauſa. quod noli quæſo exiſtimare Auguſte à Poëta illum tantum didiciſſe neſcio quo cuius in libris ſcriptum id legitur. non id enim ille invenit profectò quiſquis eſt, aut excogitavit primus: ſed ex omni humani generis ſenſu & intimis cogitationibus in poëma ſuum tranſtulit. Hoc plerique omnes perſuaſum habent. hoc tenent idiotæ iuxta cum doctis, Græci cum Barbaris, priuati cum Magiſtratibus, & ij maximè qui dominationis guſtum aliquem experiendo perceperunt; niſi ſi qua forte credibile eſt Ieſdegerdem opinione religionis, æſtimatione officij, cogitatione iuris & æqui correxiſſe illam penitus inſitam cupiditatem & ex animo ſuſtuliſſe funditus; hominem cui pro religione ſuperſtitio, pro cogitatione libido, pro moderatione licentia, pro iure cupiditas ſemper fuit. Quid expectas quid cogitas Auguſte, quos cui committis; imo condonas atque tradis. utetur homo cupidus occaſione, opportunitatem arripiet, invadet Rempublicam, vectigales Perſis Romanos faciet.

quid

Quid quæris?non contēnenda ei videbitur amplificatio aviti regni, Imperij Romani cū ſuo conjunctio, ampla illi res & glorioſa apud ſuos, tot bella tot clades vltum eſſe tanto ſuo compendio. Quid enim an non hoc ſi volet poterit, tuâ voluntate fretus, teſtamento tutus? Non faciet, inquies. fingamus velle: quis obſtabit? non ſit illud, vt eſt, proclive: non eſt certè incredibile, aut extra omnem aleam timendi poſitum. Cæterum hoc in ſapientum poni præceptis audio, vt etiam id quod ſuſpiciones timidæ periculi malum oſtentant, conſilio procul & cautione prævertatur. Ne quis igitur mihi pergat dicere: non volet Ieſdegerdes, non vtetur facultate. Simplex homo eſt, minimè aſtutus, minimè cupidus. ſuſpecta oratio. perículoſa fiducia. ſpes non vſquequaque firma. Quæ ſi eſſet fundatiſsima, tamen-ne velles, Cæſar, hoſtis Barbari continentiâ potius quám tuâ providentiâ ſalvam eſſe Rempublicam? Poſsint hoc de te dicere cives tui. Perdiderat nos Arcadius niſi nos Ieſdegerdis temperantia ſervaſſet. O famam acerbam! adhæreſcat vt tuo nomini clariſsimo tam funeſta memoria. credat hoc de te Poſteritas, teſtentur literæ, prædicet fides Annalium, tuus denique chirographus ipſe demonſtret. O diverſam ab inſtitutione vitæ tuæ, morientis voluntatem. vtinam tam beneficam, tam ſalutarem tuis civibus, nullo vmquam fine vitam clauderes! Quod ſi conditio mortalitatis id votum reſpuit; minimè certè omnium talem vitam iſto debueras fine claudere, cui tam inopinatum, tam exitiabile, tam infeſtum nobis judicium tuum indelebilem odioſiſsimæ invidiæ maculam affigit. Parcat nobis homo Barbarus abſtineat à paratâ prædâ. cupiditatem, ambitionem in potiendi, occupandi licentiâ ſuſtineat. ſanè, ſi ita inſtitutus eſt: ſi vlla hoc eum Majo-

rum ſuorum exempla docuerunt. Si quæſtum vmquam poſthabuit officio. Quibus cum in eo contraria cernantur omnia, nihil nimirum aliud quam expilationes ſervitutémque acerbiſsimam, tum extrema deinde omnia expectare poſſumus. Neque enim ille ſolum avaritiæ libidiníque ſerviet, quas explere fortaſſe, placare certè vtcumque rebus noſtris poterat: ſed crudelitate inflammatus rapietur: efferetur odio præceps illo hereditario & penè naturali Gentis in Romanos ſuæ. Quis enim hoc ignorat: nullis vnquam pertinacioribus ſævioribúſque odijs vllas vſquam inter ſe commiſſas fuiſſe nationes quam Perſas & Nos, quæ odia tot præliorum tot cæſorum exercituum redundante ſanguine paſta ſolum & corroborata ad impotentiorem vindictæ cupiditatem profeciſſe viſa ſunt. Replicemus annales, conſulamus memoriam antiquitatis: ſic reperiemus. nullam omnium gentem funeſta internecináque bella cum noſtro nomine ac genere aut ſuſcepiſſe perfidioſius, aut geſsiſſe crudelius, aut continuaſſe pertinacius, aut ſerius luctuoſiúſque terminaſſe. vt enim omittam illa famoſa prælia Parthorum & contumelioſa trophæa victis Craſsis & Antonijs, ſignis ereptis, expugnatis caſtris; cujus gentis ita nomen extinxerunt hodierni Perſæ vt odia tamen viréſque retinerent: vt inquam illa prætercam, num quinam vnquam Barbari aut cum Trajano fortius, aut cum Alexandro audacius, aut cum Gordiano ſæpius, aut cũ Maximiano periculoſius, aut cum Valeriano & Iuliano ſibi felicius nobis funeſtius calamitoſiuſque pugnarũt? quanquam quid horum ego pugnas memoro cum ipſa fœdera contumelioſa nobis & acerba fuerint. Quis vel oblivиſci noſtrum vel meminiſſe poteſt ſine lacrymis pacis iniquiſsimæ quam Ioviano Principe profligatis rebus noſtris

inviti coaćtíque fecimus ? quanta jaćtura ? quantum damni flagitium? quantum dedecus ? cum non regiones tãtum tranſtigritanas opimas atque ampliſsimas noſtras Provincias quinque, vrbes præterea ornatiſsimas Niſibim & Sangaram, arceſque munitiſsimas innumeras ipſis condonavimus : ſed ſalutem etiam vitamque ac jura ſociorum hoc eſt religionem noſtræ fidei, autoritatem Imperij, famam nominis eiſdem Barbaris prodidimus ; cum illam inter cæteras, conditionem-ne dicam fœderis, an legem ſervitutis admiſsimus, quâ Arſaci fœderato Regi Majoris Armeniæ auxilia poſcenti, ac in extremo licet periculo flagitanti, denegare jubebamur. Quæ cum tam multa tamque acerba ſint, facile eſt ad ſtatuendum ; ſit ne quidquam, non dicam humanum à Barbaris, ſanćtum à Prophanis ; ſed per Deum immortalem, ſecurum à perfidis, moderatum ab irritatis, pacatum ab ęternis hoſtibus expećtandum. Quos ſi Deus aliquis manſuros in religione fidei dejeraret ; eſſet tamen nobis grave atque intolerandum cultos homines Barbaris, Romanos Perſis, Chriſtianos Idololatris ſalutem olim vitámque debere : vt etiam ſi abeſſet periculum, quod eſt præſentiſsimum, non poſſemus tamen non abominari dedecus, & exprobrationes acerbiſsimas reformidare. Quid autem dedecus & exprobrationes loquor ? & vbi capitis lethale vulnus haurit animam, in reduviâ delicias facio? Etiamſi Perſæ ab injuria temperent. vt Ieſdegerdes ſumma fide tutela fungatur. tamen periimus. & vltimi exitij non modo non remedium nobis, ſed ne mora quidem ſupereſt. quid ita vero? Quia Occidentem vniverſum in nos concitandum iſto nuncio & totis viribus armandum manifeſtum eſt. Roma vetus, Italia cum Inſulis, Africa, Hiſpania, Gallia, Germania, Illyricus; quæcumque

terræ ac gentes ad Honorij fratris tui ditionem pertinent, in nos momento conjurabunt, ſimul ac erit divulgatum ſubeſſe Conſtantinopolim Perſis, Ieſdegerdem Arcadij loco regnare. Scio è noſtris eſſe qui ſe conſolentur: quique vt hujus ſe metûs moleſtia liberent Honorio abunde eſſe negotij cum ſuis Gotthis & Vvandalis dictitent, ne minari aut nocere nobis poſsit. Vnde illi confidunt ego plus timeo. Novi mores, novi ſectam, vitæ ritum ac militiæ Prædonum iſtorum. qui per Hiſpanias & Gallias Honorio negotium modo faceſſunt libentiſsimè illum audient ſtipendia pollicentem ſi ſuſcipere in nos expeditionem malint. Velox & penè volucre genus. Qui à Septentrionibus extremis ad vltimas Hiſpanias prohibente fruſtra Imperatore pervolarũt, quidni multò facilius favente, vocãte, manuducẽte iter & viaticum præbente Imperatore ipſo, in Thraciam & Græciam transferentur? Difficile vero fuerit movere cupidiſsimorum animos oſtentata præda intactæ plenæque Aſiæ? aut incredibile venire poſſe Honorio in mentem, admonitu ſaltem veteris cujuſpiam & rerum periti Senatoris, periculum vt in præſidium momento vertat, & quod quidam putabant impedimentum Orientalis belli eius inſtrumentum opportuniſsimum efficiat? Deeſt, inquiunt, Honorio facultas laceſſendi nos ob bellum Gotthicum: imo Pacis cum Gothis noſtro damno ſanciendæ felix ipſi naſcitur occaſio. Etenim vt in corporibus videmus vbi caſu aut ictu quopiam vehemens offenſio membrum læſit aliquod ac contudit, in illud ex capite, ex pectore, ex remotiſsimis quibuſque artubus ac partibus noxios corruptóſque humores ingenti copia confluere, tumoréſque illic ac livores, pejoreſque ac non rarò pernicioſas affectiones gignere: ſic verendi cauſa eſt ne ad tuum ( cuius

mentionem ipſam abominor ) caſum, accepta offenſione graviſsima, quidquid alibi vſpiam turbarum & malorum toto quaſi ſparſum Imperij corpore variè patitur Romana res, in noſtras, ſe ſe oras ac terras effundat & velut exoneret, cladéque ac calamitate noſtra cæterarum Chriſtianæ Reipublicæ partium tranquillitatem otiúmque redimat. Darent igitur potius operam Politici noſtri, in eóque ingenij conſiliique quam habent vim exprømerent, ne malè nobis vellet Honorius: nam ne malè nobis facere, ſi velit, queat, vereor vt eripere, quemcúmque in id conatum intendant, valeant. Præter enim ea quæ commemoravimus, magnam ſuppeditat Principi belli ſuſcipiendi facultatem fama & favor popularis, opinióque atque inclinatio multitudinis odio quodam inſtinctæ illorum de quibus invadendis agitur. Sic nimirum ſponte ac prono fluxu prorſum res feruntur: quas alióqui ſumma licet vi moliens vix ſerò commoveres. Plauſibilis in primis mentio Italis Reſtitutionis Imperij, revocationis fugitivarum quaſi Provinciarum. Ad eam vocem paſsim geſtient. alacriter concurretur. Fient citò & facilè delectus. dabunt certatim nomina Iuvenes. ibunt alacres & voluntarij. Illiciet auſpicio fauſto in ſpes ambitioſas memoria felicium Expeditionum ab Heſperijs Romanis in Orientales ſuſceptarum. Sic victum à Cęſare Pompejum. Sic Antonium ab Auguſto ſpoliatum. Parem fati vim longo intervallo expertum Peſcennium Nigrum, cujus factio Byzantij trienni à Severo oppugnatione deleti ruinis oppreſſa obrutáque eſt. Ita denique recentiori memoria Licinium Conſtantino & turbatæ Re publicę & Religionis violatæ pœnas graviſsimas regno & vita exturbatum iiſdem hiſce in partibus dediſſe. Subiiciet ad hæc occultos animis Latinorum in nos

ſtimulos odium noſtri, ea cauſa exardeſcens; quòd nulla excuſatione neceſsitatis, nullo fortunæ caſu adverſo, nulla belli offenſione, ne metu quidem aut ſuſpicione vlla, vltrò arrepto conſilio plenóque arbitrio Perſas & Barbaros & Idololatras Reipublicæ ac Religionis cervicibus impoſuerimus. Gravis hic illis nuncius: Ingens conſternatio; vehemens motus; magnum imperij nomen & vetera decora reputantium: ſibi ac rerum ſummæ metuentium. Suſpecta ſemper Romæ veteri fuit & exoſa potentia Perſarum, jam tum ex quo Cteſiphontis dumtaxat tenus & Babylonis, nec citra Euphratem effloreſcebat. Nunc repente ſi audiat, acceſsiſſe ipſis ſine dimicatione ac ſanguine Syriam, Aſiam, Cappadociam, Bithyniam, Pontum, Thraciam Theſſaliam, Macedoniam, Græciam, ſemel vniverſas Orientalis imperij partes atque Provincias cum ipſa vrbe regia nova Roma, Profectò vix minus conturbetur, quàm cum olim Annibalem victorem de muris ſuis vidit. Depoſcetur clamoribus plebis bellum in nos ſtatim; ſine mora ſummo Senatus conſenſu hoſtes judicabimur. à Socijs & fratribus hoſtilia patiemur, fortaſſe meritò, qui noxiam & inconſultam ſocietatem cum æternis hoſtibus temerè inierimus. Vertetur in mediis, & currentibus quod ajunt calcaria impinget Honorius proprio præter communem cauſam dolore irritatus ac vulnere, quòd Fratris ſupremo judicio præteritus, & in filij tutela alieno & Idololatrâ minus fidelis minúſque idoneus declaratus ſit. Accedet religionis cauſa, qua, vel ſi cętera negligerentur, incendi, efferri omnes, agi, trahi, rapi neceſſe ſit. Equidem videre jam nunc videor concitari Plebes, concurrere Antiſtites, ſummum ſacrorum Præſidem Romæ veteris Epiſcopum Sacerdotali tuba in nos clangere, nos diris

devovere, nos hoſtes Chriſti & Religionum proſcribere. qui Eccleſiã Idololatris condonaverimus: qui non ſolum Imperium Chriſtianum, ſed Imperatorem ipſum octennem puerum ad ſuperſtitionum prophanos ritus Tutoris Pagani & Chriſtianorum hoſtis arbitrio depravandum prodiderimus. Scis profectò Auguſte quantò levioribus ſint alias commoti cauſis: quam acres in hoc genere quàmque vehementes eſſe ſoleant. Perſonant adhuc aures noſtræ tonitru fulminis quod in nos ob ejectum Ioannem flagrantiſsimum contorſerunt. Quod ſi exilium viri vnius toleratum à te potius quàm juſſum, cum id Patres Synodi decreſſent, ſatis atrox crimen illis viſum eſt, vt horrendo anathemate vindicaretur: potes-ne ceſſaturos ſperare ipſos & à tui nominis incomitiatione, à tuorum quoque Manium inquietatione temperaturos, vbi à te deliberato conſilio, maturo judicio, ſupremis tabulis Ieſdegerdem filio & heredi tuo impuberi Tutorem & educatorem electum, poſthabito fratre Chriſtianiſsimo compererint. Quo facto videlicet nihil minus quam proditam à te rem Catholicam, Eccleſiam Tyranno Barbaro venditam, è quinque Patriarchatibus quatuor alienatos, Syriam, Aſiam, Græciam, Orientem vniverſum vno fatali caſu tabulæ Chriſto in perpetuum ereptum, abjudicatum, invidioſiſsimè conquerentur. Dum tuus frater Honorius vnguis (quod aiunt) in vlcere publicam offenſionem in privatæ vltionis facultatem trahet. arma expediet. infeſtus irruet. Niſi forte illum putas patientiorem in propria eáque acerbiſsima contumelia, quàm in Epiſcopi vnius ſibi privatim ignoti qualicúmque injuria fututum: & cum ob Ioannem non tuo, vt dixi, ſed Epiſcoporum judicio relegatum minacibus tibi literis denunciatum bellum ſumma

ope apparare inſtiterit, leni & remiſſo animo Iaturum notam ſibi ignominioſiſsimam inuſtam ſupremo judicio fraterni teſtamenti, quo exautoratum ſe ſe, redactum in ordinem, fide, dignitate, exiſtimatione ſpoliatum non ſine prætextu ac iuris ſpecie cauſabitur. Non me fugit Auguſte hęc quæ de tui fratris Honorij in te ac nos animo commemoro aliorſum à quibuſdam trahi, argutis & ſupra vulgum, vt ſibi videntur, ſapientibus. Qui cupido nocendi facultatem adijciendam negant: & tutelam Imperatoris infantis, quod leges & mores jubent, demandare Patruo nihil nunc quidem dictitant eſſe aliud, quam gladium quo jugulemur irato tradere. Quos equidem homines miror ſua tanta prudentia non cernere, cum duo in Honorio nobis infeſta reperiantur, voluntas & potentia, de ijs amoliendis aut emolliendis non ſatagere, in corroborandis totos eſſe. Quid tum, inquam, ſi teſtamento notetur, deformetur Honorius, ſi jure tutelæ ſibi omni lege debito fraudetur, minus infenſus nobis erit, aut illius qua nunc pollet formidoloſæ nobis potentiæ parte mulctabitur? An non potius illud ardens noſtri odium, vt flamma infuſo oleo, nova iſta irritabitur injuria: & ad cęteras nos perdendi facultates, accedet noſtro beneficio nova commoditas quantivis pretij, pretextus plauſibilis indicendi belli. Quod ſic Reipublicæ Perſis à nobis proditæ neceſſariam curam capeſſere, ſic religioni non tam periclitanti quam jam perditæ ſuccurrere, ſumma omnium, non dicam approbatione, ſed deſiderio ac flagitatione videbitur. Verè id dictum à quodam eſt,

*Frangit & attollit vires in milite cauſa,*
*Quæ niſi iuſta ſubeſt excutit arma pudor.*

Minus Honorium metuerem, vtcúmque Romæ veteris opibus & titulis ſubnixum, ſi arma impia

in nos verteret. ſi hoc res loqueretur, hoc fama proclamaret, vni eum ambitioni bello iniuſto veſificari ſecurum officij. Retardaret tum illum conſcientia, conturbaret pudor, milite ad omnia ſegniore vteretur, Deus innocentiæ protector numen ſuum oſtenderet, Mars communis & inſuſpicabiles ſucceſſus caſuum locum fiduciæ relinquerent, Vidimus, audivimus, legimus eiuſmodi complura. Quæris quo terrear? quo conturber? quam vim Honorij nobis ineluctabilem arbitrer? quod in nos movebit vindex Religionis, quòd conſenſu & favore conſpirantis Orbis dux delectus in nos. quod oppigneratum armis & ſignis ſuis cœleſte auxilium non minus veriſimiliter putabit quàm veſter olim communis Parens Theodoſius æternæ memoriæ Princeps, dum orbatum legitimi Principis morte occidentale Imperium Eugenio Idololatræ ereptum ivit, vt ipſe modo Orientale Ieſdegerdi divis hominibúſque applaudētibus extorturus proficiſcitur. Hoc fatale in nos telum excutiamus de manibus Honorio. hanc ei machinam omnium validiſsimam demamus. Conſtringamus illum verecundiâ, obligemus beneficio, honoris ſignificatione ac benevolentiæ præpediamus. ad officia pietatis ipſi debita etiam voluntaria vltrò cumulemus. Excitemus ſopitos in eius animo ſenſus pietatis, neceſsitudinis memoriam refricemus, tutelam nepotuli non tam illi tribuamus, quam datam à naturâ, à legibus, à moribus, ne fruſtra, ne reclamante mundo, ne ſumma offenſione omnium, cum noſtro extremo periculo conemur eripere. Denique ſi pereundum eſt, ſi fatalis huic Reipublicæ clades imminet, malimus infeſta caſus vi cladem ſubire, quam culpâ, magnâ, invidiosâ, ſponte ſuſceptâ, meritiſsimas in nos videri, ac paſsim dici, pœnas attraxiſſe.

DIXI.

meus, quem vt ſcitis ex hoc loco Theologum Theologis producendum in hunc annum delegimus, fore inquam vt hic Ioannes meus, Baptiſtæ ſibi cognominis fato vteretur, qui vir pluſquam Propheta, atque adeò Angelus, Mira quidem illa atque à conſtitutione mundi abſcondita Myſteria magna voce magno ſpiritu, ſed tamen in deſerto prædicavit. Atque illius quidem tanta vis fuit. Vt in deſerto vrbes faceret & panegyrim in ſolitudine congregaret. Mihi conditio tantò miſerior proponitur, quòd in Civitate celeberrima vbi nulli agyrtæ copioſa vmquam defuit concio, interpreti Euangelij auditoriū vaſtum ac vacuum, nudiſque ſubſelliorum tranſtris ſquallens exhedra deſolataque denunciatur in qua Diuinas literas tabulis & parietibus ediſſeram; ita quidam minantur, Ego ſpero meliora. Neque tamen vtcumque ſit vllius ego culpæ iſtud tribuerim incommodum: morúmque ſanè potius & temporum hanc eſſe invidiam, quàm vllius aut generis aut perſonæ crimen velim. Cæterùm vt Philoſophos veteres aiunt Lycei & ſolitarij nemoris aliquando pertæſos in Olympicam Panegyrim ſpe coronæ atque audientiæ diſputationes promoviſſe, Ita mihi quoque viſum eſt, hoc repræſentando ſermone veluti ſolatium futuræ paucitatis ex copia hodierni concurſus & celebritate præcipere. quo loco neque conquerar quippiam neque monebo, nedum obiurgabo: neque vlla triſtitia aut reprehenſionis aut querelæ principiorum omina turbari ſinam. ne inſtabo quidam importunius, aut pugnacius contendam, quo extorquere vobis perſuaſionem vllam aut nouam inducere opinionem coner. Omnia vobis veſtriſque Arbitriis permittere certum eſt: quibus obſecundare atque ſeruire partes duco meas; repugnare atque obloqui, nefas eſſe ſemper

ſtatuam. commemorabo tantum aliquid quaſi conſuetudinis cauſa ad *honorificandum*, vt magni Apoſtoli & verbis & exemplo vtar *miniſterium meum*: idque ipſum moderatione ſumma, ne dum Spartam ambitioſus extruere meam atque ornare ſatago, moliri videar excidium veſtrarum Athenarum.

Incumbunt in Theologiam ſcholaſticam pleraque ſtudia florentiſsimæ Iuventutis huius. bonum factum. imo præclarum & glorioſum facinus. hoc agite vt cepiſtis: & ſic habetote: nihil vos, neque ad animi fructum vberius, neque ad gloriæ ſplendorē, ſi id quoque quæritur, commendabilius; neque porrò ad tutelam fidei Eccleſiæque ac Catholicæ cauſæ præſidium firmius: nihil denique neque ad priuatas, neque ad publicas vtilitates compendioſius, poſſe conſulere. Quæ omnia cum vera ſemper atque indubitata videntur fuiſſe, ex quo Chriſti Domini, Eccleſiam ſuam per ſæculorum ſuceſsiones vniformiter difformi providentia gubernantis ſummæ ſapientiæ placuit, vt frequentię Conciliorum & multitudini ſanctorum Patrum, his nouiſsimis temporibus Scholaſticæ doctrinæ aſsiduitas & diligentia ſuccederet: tum hodierna die potiſsimùm hoc ipſum arripiendum tenacius arbitror, propter certorum hominum, animis atque auribus prurientium inquietiſsimos æſtus; qui neſcio quò tandem erupturi ſint. nam virorum ſapientum, quorum me in ſententia eſſe confiteor, non vana ſuſpicio eſt: Lutheri atque Calvini iam ſeneſcentibus caſtris ſuccenturiatas iſtas cohortes educi: ne noſtrum ſæculum cladibus à ſuperiore propagatis abundè miſerum, hac tamen ſe gloria conſoletur, quod hæreſeos ſaltem nouæ natale non fuerit. Aduerſus hoc genus Scholæ ſcita magno ludibrio traducentium, receptos hodiè ritus

ad antiqua priſcorum temporum inſtituta reuocantium; nihil niſi Patres, quos nec imitantur nec intelligunt: niſi concilia, quæ conuellunt; niſi canones, quorum diſciplina contineri nolunt: niſi Martyrum ſæcula, à quibus differentia morum quam interuallo temporum abſunt longius: nihil denique niſi antiqua omnia, ad faciendam hodiernis invidiam, percrepantium; quos equidem partim indignor partim miror, tantum vetuſtatis amorem atque admirationem præ ſe ferre, cum eos nouitatis ſtudio cũcta iſta mouere manifeſtum ſit: Aduerſus hos inquam ad nouam quandam graſſantes Eccleſiæ perniciem obſiſtite, per Deum Immortalem, obſiſtite, nam hæ Veſtræ Partes ſunt: obtinete ac propugnate arcem iſtam quam inſediſtis Scholaſticæ Theologiæ: Et quod ſanctus Ignatius noſtri Ordinis Parens de hæreſibus ſuperioris ſæculi cenſuit, & ſcriptum reliquit, in eo Libello cui nihil niſi divinitùs compertum commendavit: præcipui momenti eſſe ad orthodoxè ſentiendum ſcholarum Theologiæ conſenſum exoſculari, vos ita interpretamini: vt quæ res judicio illius Experientiſsimi medici mentium adverſus hæreſes illas iam promulgatas alexipharmacum fuit, eam adverſus has quoque tumentes, & in ingeniis ex Libidine novitatis parturientibus ortum agitatione moliẽtes antidoti loco futuram ſperetis. Verum an hæc quæ hactemus diſputo ſic intelligenda ſint; ſicque vos in Scholaſticam Theologiam totos abdere debeatis, vt ne horam quidem vnam & alteram per hebdomadẽ auditioni Scripturæ ſacræ dicandam infindere Scholaſticis ſtudiis par ſit: id non ipſe definire: ſed quod præſtans in animo meo de æquitate veſtra conſignata opinio eſt, vobis ipſis diiudicandum volo permittere. quamquam arbitrio quidem & deliberationi locus opinor non

eſt cum res loquantur ipſæ; manifeſtúmque ſit, nullam quamvis vberem & ingeniis monumentiſque nobilitatam diſciplinam cum doctrina verbi Dei & oraculorum Cœleſtium exacta ſcientia poſſe contendere. Sané cum Theologiæ pars ea quæ via & ratione in Scholis traditur, nihil aliud ſit quam ordinata multitudo cognitionum quæ ex principijs fide notis, divináque revelatione certis eruuntur, illud conveniat neceſſe eſt: non ſolum idem eſſe diſcrimen inter has facultates, de quibus agimus duas, quod inter fontem ac rivulum eſt, ſed aliquantò majus etiam: cum Dei ſenſa ac ſententiæ puræ in ſacris libris impermixtæque extent: corollaria vero illa quæ dialecticæ artificio & mortalis ingenij ratiocinatione confiunt, plurimùm, vt pote naturali rationi mixta, hallucinationi obnoxia ſint; peioriſque conditionis ſortem ex partis infirmioris coniugio trahant. Ex quo intelligitur, nequaquam eſſe conſultum: ita in rivulis ijſque degenerantibus, & ſequiori latice mixtis, velle acquieſcere, vt ad puritatem limpidi fontis, pręſertim patentis, nec longè poſiti, numquam aſpiretur. Quod ſi dignitate omiſſa vſus cogitetur ſic reperiemus: ſubtiles diſputationes iſtas exercendis ingeniis, intra exhedras Academiarum, otioſóſque conventus eruditorum, iactationis habere plurimum: frigere vero apud populum, &, concionum quòd fere captum excedant, ab Eccleſiaſticis, vrbaniſque repelli Sermonibus. Ergo qui non ſemper vmbram ac palęſtram meditantur: verum oculis providentiæ vſque in vltimam ſenectutem ab ipſo velut adoleſcentiæ portu prudenter admiſſis, tum vitæ vniverſæ, tum ipſi, vt monet ille, canitiei, viatica comparant, ij ſanè non ſolum in quæſtionibus Scholaſticis exerceri diligenter, verum etiam guſtare divinas literas & familiarem

ſibi ad illas ingreſſum munire iam hinc debent; quod danda nobis brevi opera audiendáque tantiſper per viceſimam quartam tertiæ & ſextæ cuiuſque feriæ particulam, Enarratione divini verbi conſequemini. Deſinãt enim deſinant ſeipſos conſolando fallere qui Scholaſticis quæſtionibus mentes quidem addicendas cenſent, quòd abſtruſiores illæ ſine ope vivi doctoris ingeniorum etiam non vulgarium aciem fugiant: ſcripturam obvium quiddam & primo aſpectu comprehenſibile, à Ludibundis per remiſsionem animi poſſe cognoſci. cuius dicti vanitatem cum tota lex & Prophetæ, librorum inquam vtriuſque fœderis omnium collectio vniverſa confutat, tum vero noſtrum hoc ipſum, quod exponendum ex hoc loco ſumpſimus, Ioannis Evangelium nullo conſiſtere loco patitur. ſenſibus tam altè latentibus, locutionibus ita tranſmarinis, contextu ipſo adeò perplexo conceptum, nulla vt in eo pagina ſit, in qua non quivis etiam meditatus, hæreat pluries. Et tamen hæc verba vitæ æternæ ſunt: ea demum via, hîc veritas, hîc vita eſt. hoc nobis tenendum, hoc tradendum alijs, nam quæ tandem ſacrarum concionum ad quas aſpiratur paſsim magis propria magiſque neceſſaria materia eſt? Hæc igitur aut planè Intelliget qui non audierit? aut rectè tradet qui non perceperit? an impunè myſtagogum ſe profitebitur non initiatus, qui divini verbi funditus rudis invadit in ſacros vmbones, prædicaturus Evangelium ſcilicet, cuius vel nomen dumtaxat ipſum vt ediſſerat, ne fidiculæ quidem expreſſerint. dicet aliquis hæc quam multa ſunt: & totos Scholaſtica ſibi vindicat. agnoſco, fateor: rorſus ita eſt. ars non modo longa, vt ille ait, ſed etiam multiplex: vita vero non ſolum brevis, ſed etiam occupata. Igitur hoc mihi ſumpſi, vt iſti ſuccurrerem incommodo, &

Laborem otiúmque veſtrum lucri vobis facerem, neceſſaria veſtrum vnicuique meditatio ſcripturæ commutatur in facilem patientiam audiendi nos ſemel atque iterum quot hebdomadis per dodrantem vnius horulæ differentes. Proviſum nobis eſt ne id fruſtra moleſtéque faciatis. Librum Commentariũ in Sanctũ Evangeliſtam Ioannem, facilè forſitan quiſque veſtrũ vnum & alterũ invenerit: nos omnes excuſsimus. ex ijs ſelecta, comparata, digeſta clariſsimè proponentur. tum ex his rurſum ipſis parciſsimè delibata quæque ad memoriam breviſsimè dictabuntur; Addetur choragium & pompa: nam iſtarum literarum hoc genium eſt. Ad quas, ſi maiorum exempla reſpicimus, non ſolum Auguſtinos & Cyprianos à Rhetorices profeſsione reperiemus eſſe tranſlatos: ſed etiã Baſilios, Naziãzenos, Chryſoſtomoſque mirabimur Athenarum ſpolia Ieroſolymis inferentes; cum in ſacrorum librorum Enarrationibus ita verſati ſint, vt Demoſthenes iſtos ipſos atque Iſocrates attigiſſe videantur. Porro de brevitate quâ res tantas tranſigam volo vos augurium ex hâc ipsâ proluſione capere; quam ſi quis mirabitur & luxatam cęteris partibus, & epilogo certè decurtatam, ſic habeat: de induſtriâ id agere me, vt ex hoc ipſo primo ſpecimine omnes intelligant, me Rhetorem eſſe deſiiſſe.

# DIXI.

*Antequam*

ANTEQVAM ſequentes Orationes, propter generis & Characteris proprietatem aptiori Diſſertationum Vocabulo diſtinctas, Superioribus adteximus, locum mihi videor in hoc quaſi confinio commodum nactus proteſtandi ex præſcriptâ formulâ circa Orationem nonam: ſi qua in eâ Sanctitatis mentio Memoriæ Viri qui ibi laudatur forte adiuncta reperiatur, nequaquam eam vſurpatam à me quò iſtud mihi iudicium arrogem (abſit hoc quidem) aut in hoc mihi fidem haberi eam poſtulem quæ ſacra dogmata proponentibus defertur. Humanâ dumtaxat notitia compertas res, more vulgari, ad vſum vitæ, hiſtorica fide protuli: obnoxia,

*vt & ſemper alibi, præparatione animi ad damnandum, emendandum, refingendum ſi quid in hoc & aliis meis quibuſcúmque ſcriptis, vel Doctrinæ vel Diſciplinæ Eccleſiaſticæ minus ad amuſſim quadrare verè deprehenſum à quoquam fuerit.*

# PETRI POSSINI

## E SOCIETATE IESV.

# DISSERTATIO I.

## PRO MANILIO, DE VERO NATALI VRBIS ROMÆ.

*Habita Toloſæ An.* CIƆIƆCXXXVII. *in ſcholâ Rhetorices cum ibi prælegeretur Liber quartus Aſtronomicôn Manilij. vnde hi ſunt verſus.*

*Heſperiam ſua Libra tenet quâ condita Roma.*
*Et propriis frænat pendentem nutibus Orbem*
*Orbis & imperium retinet &c.*

QVID ais Manili? Autumni tempore libræ ſidere conditam Vrbem Romam: Paliliorum, anniuerſarij Natalis, & menſis Aprilis oblitus. quid hic dicemus VV. Cl. Nimirū vati-

cinari vatem, & quidem Caſſandræ fato, nemine credēte. Num quis hoc enim Varro, num Cornelius Nepos, num Salluſtius num Liuius, num quis Paterculus, Suetonius, Trogus, Tacitus, Florus, Plinius? Num vel ex ſimplicioribus illis quiſquam hoc in Originibus Cato, in Annalibus Fabius, Quadrigarius, Piſo, in Poëmate deniquę poſuit Ennius? Græcos igitur Manilius hoc loco ſecutus? nihil minus. Dionyſius eſt Halicarnaſſenſis diligentiſsimus ſcrutator antiquitatum Vrbis. Diodorus ſiculus laborioſiſsimus Hiſtoriæ collector, Plutarchus, cuius in ſcriptis plus eſt etiam theſaurorum quam in nomine; Alij ſentiunt paſſim omnes cum populo: nullus admodum, quod quidem appareat, favet nobis. Poëtæ uero, præſertim Faſtorum conditor Ouidius, in hunc, puto noſtrum velut grex auium in noctuam, vno irruant impetu, miſerumque miſerè diſcerpant. quod tam nouam, tam nefaſtam, tam a popularis fidei ſenſu diſiunctam, de re tam dudum præiudicatâ primus protulerit ſententiā. Prorſus ita eſt, nam quid diſsimulare attinet, Sonticam, Capitalem, deſperatam cauſam Manilius hanc dicit. omnium ſæculorum præiudicijs omnium ſcriptorum teſtimoniis, omnium faſtorum tabulariis conuictam, oppreſſam, obrutam. Verumtamen accedendum vtique ad hanc ruinam eſt. Neque homo quicum neceſsitudinem qualemcumque literariæ Societatis in hunc annum contraximus, in tam periculoſo vadimonio deſerendus. Pietatis maior haberi, quam prudentiæ laus ſolet: & plerumque libētius incauti homines audiunt quam ignavi. Age ſanè dum officioſè alteri, ſic merito, vel pernicioſè nobis faciamus. &, quod Græcorum adagio præcipitur, quando hanc pulchram arborem inuenimus, ex eâ ne ſuſpendium quidem recuſemus.

Quamquam vt dicam ſeriò non hominis me ratio, ſed cauſæ mouet. Neque enim vllam gratiam humani aut ciuilis cuiuſuis officij tanti demum putarem, vt adductus eâ ſolâ, ſolus ego prohibentibus omnibus hanc diſceptationis inuidioſiſsimæ Camarinam commouerem. ſed vincit, & vincat ſane Regina veritas cui ſummum, æternum, & nulli obnoxium præſcriptioni vetuſtatis in liberales omnes ingenuaſque mentes ius atque imperium eſt. Huic ſimul apparuit repente omnis mendacis eloquentiæ fucoſa pompa, ſgravitatis errori patrocinantis autoritas, opinionis populari gratia florentis ille ipſe triumphalis currus decedat de via neceſſe eſt. & illa quidem ſæpe fallit aduenienſ, non habet ſtatos emerſus. nullius ſyderis tardior motus eſt. poſt decem aliquãdo ſæcula primum exortum facit. ſed ferre oportet numinum mores. & quando id cumque eſt in lucro ponendum quod apparet. agnoſcenda, ſalutanda, adorãda protinus eſt. A page enim viles, ſerviles addictas animas: quæ conſuetudinẽ rationi præferũt: de die ſomniare pergunt; errorẽ in contumaciã vertunt: & opinationes ac veriſimilitudines, vicarias veritatis poteſtatis, redigere in ordinem ipſa præſente & iubente nolunt. illas denique non pudet vocis inertiſsimæ: errare malo cum Platone. noſtis cætera. Ego vero, & quiſquis animo cæleſti & divino ſe meminit præditum, Ego inquam, ne cum Socrate ne cum Ioue quidem. Abſque hac inductione nullæ ſunt literæ. inanis labor vigiliarum, ſtulta contentio ſtudiorum, doctrinæ inſana omnis & irridenda meditatio. Minentur licet ſupercilia, rugam ducant faſtidia glorioſorum, reclament ſtudia multitudinis, vetent interdicta iudicum, obſtent exaggeratæ moles codicum, contrariorum teſtium & infenſorum contra hoſtium ſeſe inferant exercitus, tamen ex iniquitate præiudicio-

rum, ex clamoribus altercantium, ex præuaricatione patrocinantium, ex hallucinationibus imperitorum, quouis damno, quouis periculo certum eſt obtinere veritatem: & ex tanto incendio popularis invidiæ vt Æneas palladium, & Metellus Mineruam, per fumoſorū paliliorum fœneas flammas ereptum ire. Iterum profiteor. in hanc dimicationem deuoueo me omnium ſecurus, vt affirmare & confirmare audeam Manilio auctore, contra quam hactenus Grammatici perſcripſerint, Hiſtorici conſenſerint, Critici ſanxerint, Autumno tempore & octobri menſe Romanam eſſe conditam a Romulo Civitatem. Primum argumentum eſto: M. Manilius ſcriptor diſertiſsimus, Poëta doctiſsimus, Homo conſideratus & prudens, æqualis heroicorum Auguſti temporum, illo meridie doctrinarum, in oculis orbis terrarum, in vrbis luce Romanæ ſcribens, non occulté inſinuavit; ſed palam dixit, profeſſus eſt, chartis & famæ commendauit diſertis, dominantibus, iteratis, illuſtribus verbis & ſententiis otioſè dilatavit: conditam vrbem circa æquinoctium Autumni, ſub libræ ſidere. vidit igitur profecto aliquid. neque homo qui vulgo ignotas profiteretur artes, hanc in Conſuetudine vulgari poſitam, faſtis & ephemeridibus proſcriptam, anniuerſaria celebritate ſolemnis feſti vel maximè rudium ſenſibus inculcatam de Roma XII Kal. Maii condita opinionem ignoraſſe potius putandus eſt quam reprehendere ac revocare voluiſſe. Hic mihi cum duobus viris negotium eſt, quem vtrumque equidem honoris cauſa nominabo. Primus Gevartius ſuis ad Statij Papinij ſyluas Animaduerſionibus vim eneruat huius teſtimonii, dum antiquitatem Manilio, hoc eſt authoritatem conatur extorquere. quanquam mox idem liberalitate intempeſtiua quem propriis

ſpoliauit bonis eum alienis onerat & mactat. conſulatum Manilio non petenti obtrudit, quem geſſerit quadringentis ferè annis poſt mortem ſuam: commodùm imperantibus Arcadio & Honorio, anno vrbis conditæ 1152. Chriſti 399. Denique M. Manilium Poëtam noſtrum quouis pignore contendit eundem eſſe cum Manlio Theodoro qui Conſul cum Eutropio fuit anno Chriſti 399. quemque Claudianus luculento panegyrico celebrauit. Idque adeò manifeſtum eſſe ait, vt qui illud Claudiani poëma cognouerit, is legat modo decem aliquos ex Aſtronomico Manilij verſiculos, dubitare nullus poſsit, quin eius autor Claudiani coætaneus,ſic enim ait, fuerit. Quid quæritis?lætatus ſponſione ſum. perampla res viſa,non neglexi. ſtudebam optimi poëtæ cauſa ſi poſſem eum Conſulem facere, legi, contuli, animum affixi negotio. compoſui mentem ad fauendum coniecturæ. toto affectu in eam partem incubui, ſi forte inueteratam opinionem ſtirpitus mihi poſſem euellere. ſucceſſum expectatis. fruſtra fui. quid conatum diſiecerit accipite. Primò vt nomen Manilij perleui epentheſi facilè ex Manlio produci potuerit, de illo Theodori peramplo & glorioſo cognomine quæro cur eius nec vola nec veſtigium in vllo uſquam huius poëtæ codice apparuiſſe fando auditum omnino numquam ſit? Secundo Manlius Theodorus Claudiani ſcripſit de Sectis & diuortiis Græcorum Philoſophorum in illo ſuo Opere. Audite enim Claudianum eundem.

*Omnia Cecropiæ relegis ſecreta ſenectæ*
*Diſcutiens quid quiſque novum mandaverit ævo*
*Quantaque diverſæ producant agmina ſectæ, &c.*

Et paulo poſt

*Graiorum obſcuras Romanis floribus artes*
*Irradias, vicibus gratis, formare loquentes*

*Suetus, & alterno verum contexere nodo*
*Quidquid Socratico manavit ab ordine, quidquid*
*Docta Cleantheæ ſonuerunt atria turbæ,*
*Inventum quodcumque tuo Chryſippe receſſu*
*Quidquid Democritus riſit, dixitque tacendo*
*Pythagoras, vno ſe pectore cuncta vetuſtas*
*Condidit: & maior collectis viribus exit.*
*Ornantur veteres & nobiliore magiſtro*
*In Latium ſpretis Academia migrat Athenis*

Tuam fidem Gevarti, hæc aſtronomico Manilij conveniunt? At egit, inquit, de cœleſtibus in illo ſuo opere Claudiani Manlius: ſanè: diſputavit enim de nimbis, de ventorum & æſtuum cauſis, de procellâ & grandine.

*Tumidos quæ luna recurſus*
*Nutriat Oceani, quo fracta tonitrua vento:*
*Quis trahat imbriferas nubes, quo ſaxa creentur*
*Grandinis, vnde rigor nivibus; quæ flagra per auras*
*Excutiant rutilos tractus, &c.*

De his copioſè & ex profeſſo Theodorus Manlius Manilius ne gry quidem. videte quam idem ſint. Aſtronomici auctor lib. IV. extremo de ſuo Auguſto, quem tam ſæpe opere toto appellat, hæc habet.

*Iam facit ipſe Deos mittitque ad ſydera numen*
*Maius & Auguſto creſcit ſub principe Coelum.*

Perfrica ſodes frontem Gevarti, & dic Chriſtianiſsimum imperatorem Theodoſium idololatram fuiſſe, ac damnatis cerimoniis hominem aliquem apotheoſi publica in deorum numerum retuliſſe. niſi, quod de tuo pudore ſpero, fateri malis id quod vix dubium eſſe poteſt, apotheoſim Iulij Cęſaris ab Auguſto factam hîc clariſsimè deſignari? Quarto Poeta hic noſter cum librum operis ſui primum ſcriberet, nuper admodum contigerat variana in Germaniâ Clades.

*Extremas*, inquit, *modo per gentes vt foedere rupto*
*Cum fera ductorem rapuit Germania Varum*
*Implevitque trium legionum ſanguine campos.*

Variana Clades anno congruit VC. 762. Aug. 52. Sulpitio Camerino & C. Poppæo ſabino coſſ. ſcribebat igitur illa Manilius anno eodem aut ſequenti, vt vere dicere poſſet, rem illam, modo, hoc eſt paulo ante, geſtam eſſe. Denique qui cavillantur Auguſti nomine Theodoſium aut Arcadium Honoriúmve apud hunc ſcriptorem intelligi, audiant iſta eius carmina & aliquando taceant, ſi poſſunt.

*Perque Patris Pater Auguſtus veſtigia vicit.*
*Nec dum finis erat, reſtabant Actia bella*
*Dotali commiſſa acie, repetitáque rerum*
*Alea, & in ponto quæſitus Rector Olympi*
*Reſtabant profugo ſervilia milite bella*
*Quum patrios armis imitatus Filius hoſtes*
*Æquora Pompeius cepit defenſa parenti*
*Sed ſatis hoc fatis fuerit, iam bella quieſcant*
*Atque adamanteis diſcordia vincta catenis*
*Æternos habeat frenos in carcere clauſa*
*Sit Pater invictus patriæ; ſit Roma ſub illo*
*Quumque Deum coelo dederit, non quærat in orbe.*

Hæc ſi non Imperatorem Octavianum Auguſtum eiúſque tempus manifeſtò demonſtrant, nihil contendo amplius, omnia vel medium fiant mare tum à me auferat ſi quis volet Ciceronem legatione functum apud Cambyzem Cyri magni filium: & Pub. Virgilium ſub Carolo Calvo floruiſſe. Bene habet ſalva res eſt. Manilium aureo ſæculo vindicavimus. quamvis locupletem & firmum habemus autorem. ſed interpellat vir clariſſimus Ioſephus ſcaliger. qui ſuo ad hunc Manilij locum de vrbis conditu commentario. Hæc verba quæ ſupra retulimus.

*Heſperiam ſua libra tenet qua condita Roma.*

Magna quadam ſupinitate à Manilio ſcripta eſſe acerbe ſanè pronuntiat. ſed huic ego cui neminem parem eſſe autumant, parem tamen opponam, ipſum ipſi Scaligerũ Scaligero. nam in ſecundâ Maniliani commentarij editione ſecundis curis interpolata & recentata paſsim, verba illa non comparent: vt revocaſſe ſe ipſum, & errorem agnoviſſe videatur Deinde idem Scaliger Poëtam Manilium ingenioſiſsimum eſſe ait, verba ſunt ipſius, digniſsimum qui legatur in ſcholis, nitidiſſimum ſcriptorem, qui obſcuras res iucundo charactere exornare potuerit: Ovidio ſuavitate parem, maieſtate ſuperiorem. Hæc eleganter & verè vir idoneus imprîmis qui de talibus iudicet. ſed nego convenire in eundem poſſe cui dotes illæ propriæ ſint tam pudendam ſupinitatem, vt rem populari vſu tritam lipporum & puerulorum infixam ſenſibus, annuæ ſolemnitati defixam ignorare Romę ſcribens Auguſti tempore ingenioſiſsimus ſcriptor potuerit. Manet igitur integra vis teſtimonij noſtri, amputatis Reprehenſorum exceptionibus. Reſtátque quod initio volueram: videri vtique non de nihilo Manilium hæc de vrbis conditu nova dixiſſe.

Secundum Argumentum hoc ſit: Ipſa illa contritiſsima hiſtoria de Romulo, déque occaſione ac ratione conditæ vrbis præfert etiamnum aliqua quæ ſi diligenter attendantur favent admodum Manilio, & vrbem autumno conditam demonſtrant. Non hic afferam narrationem illam vt à Diocle Peparethio primum, deinde à Fabio Pictore & ex iſtis à cæteris deinceps Romanæ hiſtoriæ tractatoribus paſsim traditur. minus id neceſſe arbitror, propterea quod ad cognitionem etiam mulierculärum atque infimæ plebis, converſione tot

librorum in vulgarem linguam, expoſitam eam rem & proiectam ſcio. Admonebo tantum conſcientiam veſtram, ecquid recordemini, id quod diligentiſsimè notandum Halicarnaſſenſis Dionyſius putavit, laudato etiam antiquiſsimo & graviſſimo auctore Ælio Tuberone; tum cum à paſtoribus Numitoris pertractus in inſidias & captus Remus eſt, celebrata fuiſſe à ruſtica illa pube feſta quædam annua tempeſtate ſic monente, per quæ Agreſtes illius Regionis vagari per agros nudi & ſaltare conſueverant, cuius ſolemnitatis colore ad inſidias tegendas vſi callidè Albani Remum incautum deceperunt. fuit iſta captivitas Remi negotij totius cardo, in quo iſte tantæ rei converſus orbis eſt. Anteceſsitque idoneo intervallo fundamenta vrbis, vt ordo rerum geſtarum & magnitudo ſatis monet. Coniecto quippe in carcerem Remo admonetur curriculo abſens tum forte & apud Cæninos peregrinans Romulus; amicos appellat, ſervos ad pileum, facinoroſos ad aſylum vocat. Interea cauſam Albæ dicit cognoſcente Amulio capitalem Remus, condemnatur, ſupplicium Arbitrio Numitoris permittitur: qui Remum apud ſe detinet: tum occaſione aliquâ nepotem agnoſcit. Romulum clam admonet: dum Amulius deprehenſo Fauſtulo ſicarios in montes vbi Remum eſſe & Romulum credebat ad tollendum vtrumque deſtinat. quo comperto ſeditio maturatur. Ruſtici manipulares in vrbem coëunt. in ædes Amulij, duce Romulo, impetu irrumpunt, Amuliũ interficiunt. Numitori Regnum tradũt & cõſtituũt. deinde victoriâ diu fruiti de Colonia cogitãt & novâ vrbe condẽdâ. quæ res tot & tãtæ tres facilè mẽſes exigũt. Igitur videte quid hinc colligã, captus eſt Remus flagrante iam æſtate: neque enim frigidâ hyemê, aut etiam dubio adhuc vere

nudi ſaltarent per agros ruſtici quod tum faciebant, Ælio tuberone teſte. nimirum id contigerit menſe iunio, vt in octobrem deinde, ineuntem coloniæ deductio quadrare poſsit. At ecce tibi alium in eadem hiſtoriâ ſuſpicionis noſtræ tibicinem. Romulus cum impetum in Amulij Regiam fecit Ruſticos ſecum habuit quos ab agris abduxerat metendis tum fortè ſegetibus magno, vt fit, numero dantes annuam operam: quæ ſervilis operarum plebs inſtigante ad ſeditionem Romulo, decuriaſſe ſe repentè ac centuriaſſe ducibus electis dicitur, & quia vexilla deerant, manipulos frugum quas in manibus habebāt. pro ſignis ſuſtuliſſe, ſicque ducente Romulo Albam infeſtos petiiſſe. indéque, Plutarcho tèſte in vitâ Romuli, in perpetuam conſuetudinem propagatum eſt manipulorum & manipularium nomen; quo nihil eſt in hiſtoria ac militia Romana frequentius. videtis-ne inſignem characterem temporis, notam certiſsimam æſtatis, & quidem adultæ? Paſtores ſaltantes nudos, Agricolas metentes. Atqui ſi XII. Kal Maij deducta colonia Romam eſt (quod duobus tribusve menſibus à victo Amulio factum eſſe apparet) Ianuario menſe per conſtratum nive glaciéque camporum ſolum, inaudita laſcivia tripudiaſſe dicendi Paſtores erunt. & vix lactentes atque adeo ſe primulum è ſulcis efferentes ſegetes congeſtas in manipulos à primis illis militibus Romuli fuiſſe: quorum vtrumque quam improbabile atque abſurdum eſt, tam veriſsimilem & amplectendam haberi noſtram oportet de Roma autumno condita opinionem.

Tertiam coniecturæ huius anſam capio ex quadam cerimonia quam Plutarchus Autor eſt in deſignandis vrbis fundamentis religiosè vſurpatam à Romulo fuiſſe, nimirum eius iuſſu foſſam eſſe ro-

tundam in Comitio cavatam, quæ in ritualibus Etruſcorum libris verbo eius diſciplinæ proprio *mundus* appellari ſolet. in eam coniectas certatim ab omnibus primitias eſſe fructuum omnium ac rerum quibus veſci homines ac vti ſolent. Obſecro non hæc autumnum deſignant? vnde enim ſterili vere fructuum omnium pomorum, nucum, vuarum ſimiliúmque rerum, ruſticis præſertim hominibus & ex rapto adhuc viventibus, copia? Parúmne certum hoc indicium eſt, autumno non vere conditam à Romulo ſuam vrbem?

Quid hic iam Aduerſarij? numero ſe videlicet tuentur. legiones teſtium educunt. multitudine circumvenire nos aut terrere certè volunt. Atqui ne Manilij quidem veritatiſque cauſa teſtibus caret. Prodeat C. Iulius Solinus Polyhiſtor, antiquus & eruditus ſcriptor, ac ſanè dignus cui moderatius enarrator ſuus nuperus & protervè minus inſultaret paſsim. Solinus igitur quid de vrbe Cap. ni fallor I. *collatis*, inquit, *noſtris & Græcorum temporibus inuenimus incipiente Olympiade VII Romam conditam anno poſt Ilium captum quadringenteſimo triceſimo tertio.* Tempus Ilienſis cladis cuius hic Solinus meminit, Primum Catonem obſeruatorem habuit. & facit ad rem noſtram mirificè: ideóque huius loci hinc capeſſenda conſideratio eſt. Certo certius habendum eſt ex accuratiſsima ſubductione diligentiſsimi ſcriptoris Eratoſthenis, ex authoritate Dionyſij Halicarnaſſej, Diodori Siculi Euſebij Cæſarienſis, poſtremò ex illuſtri ac demonſtratiuo charactere chronologico, captam à Græcis Troiam eſſe die XXIII. Thargelionis menſis Attici, ſeptendecim diebus ante ſolſtitium. quē diem Troiæ fatalem aſtronomicæ tabulæ ei reſpondere oſtendunt qui in anno Iuliano Iunij duodecimus numeratur. fuiſſétque illo anno feria

quinta, ſi tum Romanus Iulianus annus & hebdomadicus dierũ orbis in vſu fuiſſet. quæ omnia certò deſignant annum Per. Iul. 3530. Ante Chriſtum 1184. Iam ad Solinum. Docet is natalem vrbis illuxiſſe diem initio Olympiadis ſeptimæ & anni poſt captum Ilium 4 . Dico ex his manifeſto colligi Solinum exiſtimaſſe Romam vrbem Autumno, non Vere eſſe conditam. quod ut quiuis intelligat, admonendũ & annotandũ illud eſt. Annos à clade Troianâ, item vt annos Olympiadum, in maturâ æſtate atque adeo citimè aut proximè ſolſtitium æſtiuum defixum caput habuiſſe. De Troianis annis patet ex modo dictis, cum enim XII Iunij expugnatum ſit Ilium, annos qui deinceps ab illa Epochâ ducuntur à menſe Iunio incipere neceſſe eſt. De Olympiadibus validè demoſtratur à viris doctiſsimis eas æternâ lege plenilunio Hecatombæonis, qui menſis lunaris erat, Auguſtum ferè noſtrum, aut ſi forte poſtremam Iulii partem obſidens, celebrari conſueſſe. vt igitur poſita fundamenta urbis fuerint initio Olympiadis ſeptimæ, quod Solinus vult, oportuit paulo poſt menſem Auguſtum, hoc eſt Autumno tempore & Octobri circiter ea menſe collocari. Alioqui ſi popularis erroris tenax quiſpiam occupare perſeveret ortum vrbis & Palilia mẽſi Aprili vindicare, iam bis Solinus mẽtietur. Primò cũ ait conditã vrbẽ initio ſeptimæ Olympiadis, cum in fine ſextæ dicere debuiſſet: Secũdo cum anno id factũ numeratpoſt captũ Iliũ 433. ſi hoc enim Aprili contigiſſet duo adhuc ferè menſes ex anno 432. ſupereſſent. Manifeſtiſsimum ergo eſt ſentire nobiſcum & cum noſtro Manilio C. Iulium, Solinum.

Alterum deinde habeo magnum, ſuperi, celebrem, locupletem, grauem, omni exceptione maiorem, vnum inſtar mille teſtem, Hominem græ-

ca facundia, Romana fide, Dionyſium, Herodoto Hiſtoricorum Regi, Ciui ſuo, nihil admodum ſuauitate concedentem, Religione perſcrutandi & proferendi veri etiam, vt quidam volunt, anteſtantem. hunc talem atque tantum Romanarum originum auctorem ad partes noſtras adduxiſſe palmarium profecto nobis, vt in hac cauſa fuerit: & quóuis vtique pretio, ſiquidem ſpes eſt vlla, paciſcendum. ſtabit vero digna merces homini, quod ea ſola ratione, ſi nobiſcum ſentiat, graviſſimā effugiet infamiam hallucinationis penē puerilis. Accuſatur enim ἀλογισίας & indiligentiæ fœdiſsimæ Dionyſius Halicarnaſſeus. mira res ſi quis norit indolem viri. Atqui magis etiam mirabimini ſi & in quo loco eius Hiſtoriæ & à quibus id vitium arguitur, ſciatis. In eo loco in quo poſt diſputationem longiſsimam, demonſtrationem concludit de primo anno Romæ urbis; hoc eſt in præcipua parte, in ipſo capite, in facie atque oculo ſui Operis pudendam labem ſtolidi erroris ille omnium laudatiſsimus affigit. quis hoc credat? qu is vero credere dubitabit cum duo viri haud ſcio an omnium qui Chronologiam vmquam attigerunt longè maximi, ferê in cæteris diſcordes, in hoc tamen conſentiant, Ioſephus Scaliger & Dionyſius Petavius? cognoſcite cauſam præiudicio ſummæ authoritatis afflictam: neque magis arrogantiæ tribuite quod contra tales viros, quam pietati quod pro tali diſputo. Halicarnaſſeus lib. 1. Originum fundamentum ipſum operis ſui moliens vt eliciat quota Olympiade condita Roma ſit, ſic ratiocinatur. Roma capta eſt à Gallis circiter annum primum nonageſimæ octavæ Olympiadis, ſummum Athenis magiſtratum gerente Pyrgione. omnes in hoc conveniunt. Fuit hic annus à Regifugio, conſulibuſque primis cen-

teſimus viceſimus, quod ex cenſoriis tabulis apparet. conſtat autem inter primos Conſules, & initium Romuli annos interceſsiſſe ducentos quadraginta quatuor: quibus additi 120. aſsignant Allienſi pugnæ & cladi Gallicæ annum vrbis conditæ tercenteſimum ſexageſimum quartum, qui idem fuit, ex omnium conſenſu Olympiadis nonageſimæ octavæ primus annus, Anni vrbis 364. per 4. diviſi Olympiades ſolidas efficiunt vnam & nonaginta. quot à condita ad everſam à Gallis vrbem fluxiſſe neceſſe eſt, & tamen cum incenderunt vrbem Galli Olympias ſeptima ſupra nonageſimam deſinebat. concludendum eſt igitur cum eſt à Romulo fundata Civitas Olympiadem ſeptimam inchoatam eſſe. Imo interpellat poſt Scaligerum Petavius concludendum potius eſt Olympiadem ſextam abſolutam eſſe. eamque definiunt Hallucinationem eſſe Dionyſij, quod cum probare velle videatur, idque in opinione ſua ponat, initio olympiadis ſeptimæ fundatam eſſe vrbem, tamen eius argumentatio nihil aliud colligat, niſi in fine olympiadis ſextæ eam rem eſſe geſtam. Ego vero, quod pace vtriúſque fiat, pertendo ratiocinatum eſſe rectè Dionyſium, indeque rectè concluſiſſe non enim quod illi arbitrantur, exiſtimavit Palilia prima conditúmque vrbis verno tempore, dominante tauri ſidere, à Romulo eſſe celebrata. Sed cum præclarè ſciret, Olympiadem a menſe circiter Auguſto initium habere, & aliunde infixum gereret intimis ſenſibus, fundamenta vrbis circiter Septembrem Octobrémue menſem Horoſcopante Libræ ſigno poſita fuiſſe; pertinere putavit ad notiſsimam illam diligentiam ſuam nullius momenti negligentem, etiam vnius alteriúſue menſis inter duarum Olympiadum confinia ſubrepentis exactiſsimam habere exhiberéque rationem. Quod ſi in

ſi in vulgari opinione fuit erravit profectò graviter, recuſare non poſſumus, & merito à viris magnis vapulavit. Atque hoc ipſum in tanta viri fama pro graviſsimo eſſe argumento debet; Eum nobiſcum, cum Solino, inquam, & Manilio ſentire, ne ſcriptorem ſummæ rationis poſtquam integra, vt ita dicam, navi Ionium ægeumque per ſcyllas & ſymplegadas enataſſet, in portu ipſo Romæ dicamus, atque adeo in mitiſsimo amni Tyberis naufragium feciſſe rationum. Habete vobis exemplum adoleſcentes ex memoriâ inſtitutionis veſtræ puerilis. plerique puto veſtrum, & fortaſsis omnes ſtuduiſtis arithmeticæ. Ex artis eius canonibus iungat ecce mihi aliquis 26. cum 15. Imponat primum vnum alteri ad perpendiculum. deinde ſic colligat . & 5. dant vndecim. noto vnum, alterum ſuſtineo. Iam ad alterum figúrarum par. duo & vnum faciunt 4. apage calculonem. Imo apage momum, vnitatem enim ſuſtinueram, quam tacitus ipſe mecum in ſummam inculco. atque ita rectè colligo 4. ſic fecit Dionyſius: penitus comprehenſam opinionem ſuam de Româ Autumno condita, clam in ſummam illam intulit, viróſque magnos fefellit, at falſus ipſe non eſt tamen.

Noſter igitur Halicarnaſſenſis eſt. nunc demum confido rebus meis. nunc ſpero, nunc ſperno multitudinem. nunc producant cateruas autorum, magna & minuta nomina ad faciendam ſaltem errori pompam colligant, arment in nos ac centurient Hiſtoricorum, Poëtarum, Grammaticorum, Oratorum, quidquid eſt. audeo dicere, nihil omnes ad vnum Dionyſium. qui temporibus optimis ſub Auguſto Cæſare inter optimos Romæ floruit. qui ſummum iudicium, ſummam eloquentiam, ſummam induſtriam ad ſcribendum attulit. qui

T

non præcipiti calore, temerarioque impetu ſed duorum & viginti annorum acri, continua, laborioſiſsima meditatione præparatus Romanam Hiſtoriam tractare tandem auſus eſt. Hic niſi eſſet abundè,non deerat aliorũ feſtiua ſanè copia. quos ſi prenſarem pauliſper,pollicerentur ſtatim omnia. Huiuſmodi ſunt quotquot indicãt alicubi,ſunt autem ii plurimi, annos Romanorum temporum in Autumno deſinere, ab autumno duci aliquando eſſe ſolitos. cuius conſuetudinis vnica ratio eſt noſtra ſententia. Sed deeſſe cauſæ malo quam vſque in veſtrum abundare tædium. adeò minus eſſe mali ſtatuo in præuaricatione, quam in odio. valeant igitur non ſanè pauci primi ſubſellij ſcriptores alia die rogandi. Nunc ſimul adhuc vnum pro Manilio teſtem audieritis, concilium per me licet nulla mora facta dimittatis. Is eſt L. Tarrutius Firmanus Homo ſi ætatem quæritis, æqualis M. Varronis, ſi naturæ indolem, ingenioſiſsimus, ſi eruditionem doctiſsimus, ſi ſtudij genús, Mathematicus. De iſto partim Cicero, partim Plutarchus narrant, Poſtquam omnem ſuæ artis methodum in relegendis atque affectandis quam poſſet proximè veſtigiis ac momentis omnibus Romanorum retrò temporum conſumpſiſſet: nihílque iam ſibi ad omnem ſubducendi & colligendi diligentiam feciſſe videretur reliqui, intrepidè pronunciaſſe coram M. Varrone;ſi quid eſſe poſſet humanitùs certum,id eſſe vtique quod dicturus eſſet: nimirum vrbem Romanam nono Pharmuti die condi ceptam à Romulo fuiſſe Eámque diem qua id factum eſt, τριακάδα ἀτρεκῆ inquit Plutarchus, exactè trigeſimam menſis lunaris diem fuiſſe. quod alio modo explicans lib. II. de diuinatione Cicero totidem verbis hæc habet, *L. Tarrutius Firmanus familiaris noſter imprimis Chaldaicis rationibus erudi-*

*tus, vrbis etiam noſtræ natalem repetebat ab iis Palilibus quibus eam à Romulo conditam accepimus, cum luna eſſet in iugo.* Hæc Tullius. Lunam eſſe in iugo puto hic ſignificare græcum ἐν ζύγῳ ſiue ἐν συζυγίᾳ in coniugio ſolis, nouilunio commiſſo. Solinus autem ſupra laudatus lunam eſſe in iugo idem eſſe putat ac lunam eſſe in libra, quod ſi verum eſt, multò magis nobis fauet. Inde enim ſequitur ſolem quoque ipſum in libra tunc fuiſſe, cum manifeſtum ſit lunam & ſolem coïtus & novilunij tempore vnum & idem dodecatemorion inſidere. verum de hoc poſtea: nunc illud teneamus ex ſententia Tarrutii nobiliſsimis duobus characteribus illuſtrem eſſe diem illam quæ Romæ natalis fuit: altero cœleſti , nempe quod novilunium commiſſum in ea ſit; altero civili quod iuxta rationem anni Ægyptiaci ea dies nona fuerit Pharmuthi menſis. quid aliud quærimus? hic inſiſtamus omnes. quorſum tot verba. vna hic optima ratio oſtenditur huius profligandæ controuerſiæ. ſi poſſunt Aduerſarij monſtrare. xi. Kal. maias anni ante Chriſtum 754. & diem lunaris menſis exactè trigeſimam ac novilunio notabilem fuiſſe, & rurſus in anno Ægyptiaco nono Pharmuthi reſpondiſſe, euge vicerint. herbam ſine mora porrigam. Maniliúmque vinctum dedam ipſis ad ſupplicium. ſin neutrum illorum quadrare ratione vlla poteſt in illam xxi. Aprilis diem: vtrúmque autem vnicè conuenit ei diei qui 4. Octobris in editione Iuliana numeratur, eſt-ne, divum hominumque fidem! quod muginentur amplius & otioſis cavillatiunculis diem eximere tergiverſando moliantur? Hic tametſi defeſſos eſſe vos oportet auditione diuturna tamen per magnum numen Veritatem iuſque & æquum cauſæ meæ obſecro obteſtorque vos annitimini paulisper & ſenſus

merus & vernaculus Ægyptiorum annus peregrinitate tandem aliquâ temperatus eſt. Anno enim Auguſti Imperatoris ab Actiacâ victoriâ vertente quinto; à Triumviratu xix. cum forte in xxix. Auguſti menſis Iuliani diem neomenia Thot incidiſſet. Ægyptiorum Hierophantis viſum eſt, interkalationem hinc deinceps vſurpare Iulianam, & hâc habenâ fluxum anni ſui caput ei xxix. menſis Auguſti diej in æuum omne devincire. habetis duplicem Ægyptiorum anni formam: quarum poſteriore Actiacâ & Auguſtea putavit vſum in ſua deſcriptione Tarrutium Firmanum Ioſephus Scaliger, Notis ad hunc Manilium. in quo nihil aliud quam Petavio dare pœnas voluit: cum manifeſtiſsimum ſit Tarrutium Firmanum, qui ante mortem Ciceronis vrbis natalem indagavit, Actiacam anni formam quæ viginti demum poſt annis excogitata primum & inſtituta eſt, nequaquam vſurpare potuiſſe. quæramus igitur in methodo prioris Ægyptiorum anni ix. Pharmuthi dies quem in Iulianum diem eius anni quo ſunt vrbis fundamenta poſita convenerit? omnium admodum Hiſtoricorum & Chronologorum concors ſententia eſt, circiter annum à capta Troia 430. fundatam eſſe Romam. Erat is annus ante Chriſtum 754. Periodi Iulianæ 3960. quo neomenia Thot ex canonibus Artificum deprehenditur quinquageſimâ nona anni Iuliani die, quæ eſt xxviii. Februarij: dies Pharmuthi ix eſt anni ægyptiaci ducenteſima decimanona. Adde 58. Iulianos dies, conficet 277. à Kal. Ian. Iuliani anni diē cum nono Pharmuthi illo anno conveniſſe. Atqui 277. à Kal. Ian. in anno Iuliano dies eſt iv. menſis Octobris in anno non biſſextili. videtis quid hinc ſequatur. nimirum ex Tarrutio natalem illum vrbis Romanæ diem extitiſſe. verum id quidem; ſed

cum modo diximus IV. annis conſtitiſſe in Octobris quarta die IX. Pharmuthi menſis, ratiocinatio noſtra præciſè non deſignat annum vnum aliquem ex illis quatuor niſi aliud addamus. reuocetur igitur quod idem obſervavit Tarrutius lunam in Iugo tum fuiſſe, hoc eſt in coitu cum ſole noviluniòque inſignem eam diem, & τριακάδα ἀτρεκῆ fuiſſe. conſulamus abacos aſtronomicos, reperiemus illo ipſo die anni dumtaxat ante Chriſtum 54. verum novilunium ad meridianum Romæ vrbis commiſſum eſſe Octobris IV. hora 3. 22. minutis a media nocte, ſole gradum Libræ quartum perambulante: & dubitamus adhuc, quodque magnorum errorum cauſam eſſe fruſtra monuit idem autor optimus Manilius, *neſcimus credere Coelo.* non inquam agnoſcemus natalem vrbis diem quam Dyoniſius & Solinus adumbrarunt, Tarrutius indagavit, Manilius oſtendit, quam ipſe Hiſtoriæ deſignat ordo, in quâ inſignienda ſol & luna convenerunt? Nec vero quemquam moveat ſilentium Scriptorum, ſtulta, vt opinor, Religione ſancitum. quis neſcit verum vrbis Romanæ nomen æternâ obſcuritate damnatum, ſuperſtitioſo metu ne ad euocandum vrbis Genium excantationibus magicis eo abuti hoſtes poſſent? inſtituto pari arbitror natalem vrbis verum occultatum de induſtria & eius omnia confuſa veſtigia fuiſſe. ſed nihil labori atque induſtriæ non pervium eſt, & Pharſalici conſcium prælij diem neſcire neſcirique Roma voluerat, tamen illas tam altè defoſſas tam ſedulè munitas latebras ad meridianam lucem cognitionis publicæ vir doctiſsimus aureo libro his ipſis diebus edito patefecit. ſic fecerant Tarrutius, ſic Manilius, neuter deterriti præiudiciis imperitorum, autumno itaque condita Roma eſt. Autumno Alexandria quoque: ſed quid vrbes di-

eo: Terrarum ipſum cœlorúmque orbem autumno etiam conditum accepimus, Heroum hoc idem natale tempus, quorum inſtar omnium Chriſtianiſsimus Rex noſter Ludovicus Iuſtus horoſcopante Aſtrææ librâ natus omen futuri cognominis ex natalj ſydere præcepit. Hinc propagatus felicitatis tenor. autumno victi Angli, autumno capta Rupella: & durare adhuc vim propitiam fatalis tempeſtatis nupera victoriâ comprobatum eſt. videtis auſpicatiſsimum inchoandi tempus Adoleſcentes optimi. Eamus hinc alacres. capite impetum. ſignum ecce datum eſt. In Rhetorum ſpatia curſum admittite. Ego vero diſputationis meæ hic ſignabo metam vbi veſtræ contentionis alba linea eſt.

# DIXI.



# DISSERTATIO II.

## DE RE NUMMARIA.

### AD AMICUM HUMANITATIS PROFESSOREM.

*Qua brevis & facilis methodus traditur Pecuniæ veteris ad novam hodiè notam ſtatim redigendæ.*

EX vſu illud ac more cæteræ diligentiæ tuæ facis, vt in procinctu profitendæ Humanitatis impedimenta ritè fungendi iſtius negotij provideas; induſtriamque tum acuas adverſus illa propriam, tum alienam ad ſubſidium implores. quippe qui (quod pudentem, ingenioſum, tui ſimilem virum decet) in animum induxeris, non vtcumque obiter ac perfunctoriè; ſed quam accuratiſsimè cumulatiſsiméque demandatam tibi adminiſtrare Provinciam. Itaque cum nomini Magiſtri Humanitatis hanc vim & notionem à Majoribus ſubjectam ſcias; hanc apud

Præſentes Expectationem iſtius ingreſſu loci ſuſcipi ſentias, vt qui tali ſe officio vel vltrò adſtrinxerit, vel obligari ab aliis ſiverit, Claſsicorum Autorum vtriuſque linguæ intimam notitiam gerere in numerato atque in promptu debeat tantam quantæ nullus nodus, nullum ambiguum aut obſcurum eorum Schema, nulla ijs forte verſandis occurrens perplexitas, faceſſere negotium, aut ſubitæ reſponſionis obiicere moram poſsit: meritò ſolicitum te habet rei veteris nummariæ tam crebra paſsim libris iſtis veterum intexta memoria, cui ſtatim vt ediſſerendæ par eſſe queas ſemper, fortaſſe non ſine causâ vereris. Nihil novum narras. vidi, ſenſi, expertus abundè ſum. Ac quamquam quæ huic vel tollendo vel minuendo comparata incommodo erant præſidia ſedulò captavi, numquam ferè tamen ita hunc locum pleno iure tenui vt non hoſpes in eo & quaſi iure precario alienæ gratiæ peregrinus mihi viderer diverſari. Verum amfractibus præciſis contrahere in pauca opus eſt quod dicere me vis. non enim diſſerendi, ſed iuvandi ſi quid poſſum locum hîc habeo.

Principio profitendum eſt; non minus ex officio meæ fidei ac modeſtiæ gratique animi, quam ad perſuaſionem & πληροφορίαν tuam ipſius: me huius quidquid dixero haud quaquam ex me hauſtum; ſed ex alienis iiſque famâ publica commendatis & quaſi conſecratis ingeniis promere ac derivare in vſum tuum meúmque, obnoxia præparatione profitendi, quoties erit occaſio, per quos profecerim; tametſi quemque ad ſingulas particulas aut vocabula citare nominatim autorem neceſſe non habeam. Extant Eruditiſsimi diſertiſsimique libri de Aſſe ab homine Ingenij, Iudicij, Doctrinæ incomparabilis Gulielmo Budæo conſcripti: Aliorum item Variorum & Doctiſsimorum exin-

ſummis aut nummis, eorúmque valore queat ſtatuere. Præcipua igitur ponenda nobis operæ pars eſt in Romanis nummis ediſſerendis etſi non omittemus ijs expoſitis in corollarij parte de ijs admonere quę Græcorum Hebræorumque propria ſunt. Verum vt ſit aliquid quo tendat & in quod dirigat arcum noſtra diſputatio conſtituenda iam hinc deſignandáque eſt certa & nota ſpecies pecuniæ hodiernæ ad cuius perſpectiſsimam publicè quaſi menſuram exæquata ævi veteris ac Romani moris pecunia omnis è ſuis tenebris in liquidam hodiernæ conſcientiæ lucem protrahatur. Ad id tres tantum deligimus monetæ francicæ vulgatiſsimi vsûs, ac definitiſsimi nec cuiquam ignorabilis valoris ſpecies. Prima & plurimum pendens eſt, Libra francica. Secunda eſt huius pars viceſima, ſolidus turonenſis. Tertia denariolus duodecima portio turonici ſolidi. Alias penè innumerabiles monetæ, hîc, alibi, nunc, olim cuſæ, inſtitutæ, vſitatæ formas commemorare hoc loco non modo nihil neceſſe eſt: quòd harum trium notiſsimo pretio omnium aliarum intelligi ſtatim adæquaríque modus poſsit: ſed eſſet præterea noxium. Confunderet enim animum & vix in tot erroribus ariadneo filo ſe regentem obiectis ſimul nimis multis implicaret. Iterum dico: tres hic tantum cogito monetæ formas: Libram Francicam viginti ſolidos pendentem, Solidum turonicum dici ſolitum, denariolorum du odecim; Denique Denariolum vulgo dictum, duodecimam partem ſolidi modo nominati. His tribus numi ſpeciebus nulla veterum Romanorum, Græcorum, Hebræorum, aliorum quorumvis pecunia vel tanta vel tam parva eſt quæ deſignari commodè non poſsit: vt deinceps experiendo comprobabitur.

Sciendum præterea eſt: cum monetæ forma Ro-

manis in vſu fuerit triplex ærea, argentea, aurea: eáque varij admodum, vario ſtatu ac tempore, modi ac valoris: Et ex his ærea antiquiſsima fuerit ſignata primùm Rege Servio, vt Plinius docet Hiſt. Nat. Lib. XXXIII. Cap. III. argentea recentior, de cuius ætate mox diligentius. aurea noviſsima anno altero & ſexageſimo poſt argenteã cepta, ex eodem Plinio ibidem, præcipuam huius negotij in argentea difficultatem eſſe. quod eam celebritas paſsim omnis Romani uſus ac ſermonis ſummis indicandis adhibuerit. Secundum eam nonnulla pars operæ in ærea ſupereſt propter aliquammulta Veterum loca. Minimum porro negotij in aurea eſt. De omnibus hoc quem indicavimus ordine agemus; ſpiſsiora & operoſiora quæque prævertentes pronioribus.

Vt ergo auſpicemur ab argento: ſignatum id primum anno vrbis conditæ DLXXXV. quinto Fabio Conſule, Autor eſt modo laudatus Plinius. ſed mendoſum hunc eius locum eſſe varietas lectionum in antiquis Codicibus indicat: & ipſa res evincit: Anno enim V. C. DLXXXV. Q. Marcius Philippus II. & Cn. Servilius Cæpio Coſſ. fuerunt. Poſtremo vt alia nunc taceam ipſe Plinius hallucinationem ſui librarij coarguit, paulò ſuperius eodem capite ſcribens: Populum Romanum argento ſignato ante Pyrrhum Regem devictum uſum non eſſe. Victus eſt autem Pyrrhus, vt conſtat ex Epitome Liuij, Plutarcho, & Iuſtino anno V. C. nono & Septuageſiimo ſupra quadringenteſimum. Manio Curio dentato III. & L. Cornelio Lentulo Coſſ. ex quo tempore qui primus Q. Fabius dictus conſulatum geſsit, fuit Q. Fabius cognomẽto Gurges Conſul factus cũ Publio Decio in annũ vrbis conditæ CCCCLXXXIX. quẽ numerũ ne reſcribẽdũ hoc Plinij loco putemus facit quod

ibi mox ſubditur fuiſſe illum annum quintum ante primum bellum punicũ quæ nota præciſè deſignat annum vrbis quadringenteſimum octogeſimum quintum quem his characteribus cdlxxxv. à Plinio ſcriptum non dubito; etſi eo non Quintus Fabius, ſed C. Fabius Max. Pictor conſulatum geſsiſſe reperiatur. Sed in his coniectãdo conflictari vix tanti duxerim, cũ aliud nos præcipuæ neceſsitatis vocet.

Vſum videlicet penè vniuerſum romanarum rationum invaſit, occupavit, implevit ferè vna ſeſtertiorum mentio: propterea Nobis, niſi prævaricamur in cauſa ſuſcepta, diligenter præ omnibus enarranda. Atqui notitia Numi ſeſtertij abſque eius cuius proportionalis pars eſt, Denarij cognitione haberi non poteſt. Scire igitur opus eſt, Speciem numiſmatis argentei Romanis vſitatiſsimam Denarium fuiſſe, ex eo vt apparet nomen nactum quod initio decem aſsibus æreis, de quibus diximus, exactè æquivaleret, Erant & aliæ in vſu argenteæ numulorum ſpecies proportione reſpondentes Denario cuius partes erant. Nempe Quinarius qui Denarij totius valore ac pondere ſemiſſem adæquabat, Seſtertius quinarij dimidium, libella dimidium ferè ſeſtertij, ſembella dimidium hoc eſt ſemis libellæ vnde & nomen habet, Poſtremò minimus omnium teruncius ſembellæ dimidium pendens. Verum horum minuſculorum infra ſeſtertium numorum videtur vſus citò exoleviſſe: quod ad commercij vulgaris vſum tanta exilitas minus apta deprehenderetur experimento ipſo. Celebritas tota in ſeſtertio conquievit, ideo nobis, vt præmonui, otioſè conſiderando.

Incipiamus à notatione nominis. Seſtertius dictus eſt quaſi ſemis tertius. Denarius videlicet primò totus dividitur in ſemiſſes duos, quinarios ſcilicet totidẽ. Iterũ porro quinarius quilibet diviſus

in duas partes æquales dat ſemiſſem tertium, imo & quartum: ſed ex duobus qui partitione qui narij exiſtunt ſemiſsibus inter ſe paribus prioris tantum occurrentis (quippe cui alter per omnia par & ſimilis ſit) ratio habetur in appellatione. Hactenus Etymologia. Figura quoque aut ſignum quo pingitur declarandum eſt. Denarius vt nomen ab complexione decem Aſsium æreorum, ſic & characterem quo exprimebatur compendio ſortitus eſt ipſam denarij numeri vulgarem notam X. Quinarius porro à numero & ipſe ſuo figuram mutuatus eſt, litera V Quinarij vulgari nota ſolitus exprimi. Solo in Seſtertio nimium popularis ac frequēs catachreſim vſus invexit, qua hodie cernimus in libris eius notam hāc H S vel etiam iſtam LLS. Atqui rectum erat II S. Nec dubito quin ſic Antiqui doctiores expreſſerint. Nempe vt ſemis V Quinarij ſigno pingebatur, quod quinque partes earum decem quæ denarium conflabant comprehenderet, Ita Seſtertius qui duas ex ijs partibus cum ſemiſſe tertiæ implebat, ſignum quoque tale habuit quo idipſum deſignaretur: videlicet binarij notam duabus vnitatibus formatam II & literam S, ſemiſsis ſuperadditi indicem.

At hæc levia videri poſſunt præut eximij momenti ſummæque idem difficultatis eſt quod reſtat, in quo totum haut dubiè negotium vertitur. præciſa nempe definitio exacti ponderis ac valoris ſeſtertij numi Romani, & proportionis eius ad monetam nobis notam. Id enim niſi tenemus, fruſtra hîc micamus in tenebris. Gulielmus Budæus Heroïci vir ingenij in libris de Aſſe ſumma hoc ſolertia ſcrutatus eſt, Nactus enim aliquot veteris monetæ Romanæ denarios eorum pondus ad libellam exploratū cum noſtratibus & numis & ponderibus comparavit. indéque fundamentum jecit totius ra-

tiocinationis ſuæ. Benè hactenus ſi denarios antiquos quibus eſt vſus nullo intertrimento per tantũ ævum minutos à primo poudere per edacis rerum temporis limam ſemper reciprocantem præſtare idoneo vade poſſet. Nunc magna exceptionis in contrarium cauſa nobis eſt quod ex ſua Hypotheſi Budæus intulit; libram romanam ſemunciâ tantum minorem fuiſſe libra Marcæ aut Markæ vulgo dicta, pariſinis vncijs octo conſtante. quod vix verum eſſe poſſe ſenſibili experimẽto eſt deprehenſum à viro & accuratiſsimo & fide digniſsimo Petro Gaſſendo, qui Congij olim à Veſpaſiano in Capitolio conſecrati & hactenus Romæ ſervati modum nactus, manifeſté deprehendit, aquam putealem cuius id vās Capax fuit, pendere exactiſsimé vncias centum vndecim cum dodrante vnciæ. Atqui certiſsimum eſt congium Romano pondere decem librarum aquæ fuiſſe capacem: quæ Romanæ libræ, cum vnaquæque duodenarum vnciarum fuerit; omnino vncias centum & viginti explere debuerint. Eſt ergo noſtræ libræ à Romana differentia certo experimento deprehenſa octo circiter vnciarum: nempe qualis reperitur inter centum ac fere duodecim vncias & centum viginti. Vnde non parum diſcrepat collectio Budæi iuxta cuius rationes complementum congij pendere tantum debuiſſet vncias circiter ſeptuaginta ſeptem qui numerus à centum duodecim experientia compertis nimium diſtat. Exiſtimo igitur deficere paululum Budæum à vera æſtimatione ſeſtertij, dum eum ſeſquiſolido turonenſi ferme adæquandum ponit. accredóque potius ſæpe laudato Gaſſendo qui coniectura ex pondere aquæ Congij perité ducta verum & exactum denarij romani veteris pretium exæquari hodiè definit ſolidis turonicis ſeptem, & denariolis præterea quinque cum trien-

te ſexti. hoc eſt ſolidis noſtratibus fere ſeſquiſeptem. Ex quo patet Seſtertij Numi valorem exactum exprimi rectè hodiè per vnum ſolidum cum decem denariolis & vna tertia particula vndecimi Cui Hypotheſi ſequentes tabulas ſuperſtruximus præfati minutias infra denariolum tutò in ſummis ſubducendis contemni, imo & denariolos ipſos ſi pauci ſunt. Non enim ſcilicet vel ſi rumpamus nos id aſſequemur umquam vt verum ipſum exactiſsimum veteris pecuniæ modum adequæmus; præclaréque nobiſcum agi credere debemus, ſi non longè nimis aberraverimus. quare in familiari ſermone ſcrupuloſam numerorum diligentiam non profitente fas interdum erit rotundas efferre ſumma parvo diſcrimine neglecto: exempli cauſa ſeſtertios numos ſingulos duobus ſolidis turonicis, ſingula ſeſtertia majora centum libris francicis æquando.

## *Tabula I. qua ſeſtertij Numi Romani ſimplicis & multiplicati valor per Vnitates, Decadas, & Centurias expanſus declaratur.*

| SESTERTII | Lib. Frāc. | Sol. Tur. | Den. |
|---|---|---|---|
| *Vnus* 1. | 0 | 1 | 10 |
| *Duo* 2. | 0 | 3 | 8 |
| *Tres* 3. | 0 | 5 | 7 |
| *Quatuor* 4. | 0 | 7 | 5 |

| *Seſtertij.* | *Lib. Frāc.* | *S. T.* | *Denar.* |
|---|---|---|---|
| *Quinque* 5 | 0 | 9 | 4 |
| *Sex* 6 | 0 | 11 | 2 |
| *Septem* 7 | 0 | 13 | 0 |
| *Octo* 8 | 0 | 14 | 11 |
| *Novem* 9 | 0 | 16 | 9 |
| 10 | 0 | 18 | 7 |
| 20 | 1 | 17 | 3 |
| 30 | 2 | 15 | 10 |
| 40 | 3 | 14 | 5 |
| 50 | 4 | 13 | 1 |
| 60 | 5 | 11 | 8 |
| 70 | 6 | 10 | 3 |
| 80 | 7 | 8 | 11 |
| 90 | 8 | 7 | 6 |

| SESTER. | Lib. Frāc. | Sol. Tur. | Denarioli. |
|---|---|---|---|
| 100 | 9 | 6 | 1 |
| 200 | 18 | 12 | 3 |
| 300 | 27 | 18 | 4 |
| 400 | 37 | 4 | 5 |
| 500 | 46 | 10 | 7 |
| 600 | 55 | 16 | 8 |
| 700 | 65 | 2 | 9 |
| 800 | 74 | 8 | 11 |
| 900 | 83 | 15 | 0 |

HIC deſinimus primam tabulam quæ minorum Seſtertiorum ad notam hodiè pecuniam exæquationem demonſtrat. Non enim vlterius eam producere neceſſe eſt: quoniam in vſu Romani ſermonis erat vt non vltra nongenteſimum nonum ſeſtertij parvi ferè numerarentur. Siquidem vbi ad millenarium perventum erat mutabatur appellatio; & ex mille Seſtertiis parvis vnum exiſtebat magnum Seſtertium. Docet id Iuvenalis inter cæteros Sat. IV ſic ſcribens de Criſpino.

*Mullum ſex millibus emit*
*Æquantem ſane paribus Seſtertia libris.*

Dum ſex millibus emptum mullum dicit, ſex

millia ſeſtertiorum minorum intelligit. Dum vero ſex librarum piſcem æquaſſe addit paribus libris totidem ſeſtertia, demonſtrat ſexies mille ſeſtertios ſex ſeſtertia conficere: ac conſequenter vnum ſeſtertium magnum mille parvis ſeſtertiis conſtare. Eſt autem obſeruandum iſtam Seſtertiorum in neutro genere appellationem ex vſu latinæ linguæ quem in antiquis Scriptoribus notare licet, non adhiberi neceſſario niſi per vnam centuriam; quâ expletâ licet mutare locutionem & ad ſeſtertios parvos recurrere, vt mox dicemus, etſi ſeſtertia quoque maiora cum numeralibus notis centuriarum vnam excedentium vſurpari non ſit obſoletum. Hæc nobis cauſa eſt dandi ſeparatam hoc loco tabulam ſeſtertia majora cum hodiernâ pecuniâ comparantem.

## *Tabula II. Qua Seſtertia majora in hodie notam pecuniam rediguntur.*

| *Seſtertia.* | | *Lib. Fran.* | *Sol. Tur.* | *Denarioli.* |
|---|---|---|---|---|
| *Vnum* | 1 | 93 | 1 | 1 |
| *Duo* | 2 | 186 | 2 | 3 |
| *Tria* | 3 | 279 | 3 | 4 |
| *Quat.* | 4 | 372 | 4 | 5 |
| *Quinq.* | 5 | 465 | 5 | 7 |
| *Sex* | 6 | 558 | 6 | 8 |

| Seſtertia. | | Lib.Fran. | Sol.Tur. | Denar. |
|---|---|---|---|---|
| *Septem.* | 7 | 651 | 7 | 9 |
| *Octo.* | 8 | 744 | 8 | 11 |
| *Novem.* | 9 | 837 | 10 | 0 |
| *Decem.* | 10 | 930 | 11 | 1 |
| *Vig.* | 20 | 1861 | 2 | 3 |
| *Trig.* | 30 | 2791 | 13 | 4 |
| *Quadraginta* | 40 | 3722 | 4 | 5 |
| *Quinquag.* | 50 | 4652 | 15 | 7 |
| *Sexaginta* | 60 | 5583 | 6 | 8 |
| *Septuaginta* | 70 | 6513 | 17 | 9 |
| *Octoginta* | 80 | 7444 | 8 | 11 |
| *Nonaginta* | 90 | 8375 | 0 | 0 |

Centum Seſtertia etiam latinè dicuntur vt patet vel ex trito Iuvenalis verſu.

*An ſimplex furor eſt ſeſtertia centum*
*Perdere,& horrenti tunicam non reddere ſervo?*

Ducenta etiam,trecenta & famoſiſsima illa qua-

dringenta cenſum equeſtrem explentia, quâ præciſè ſummâ redituum annuorum qui carerent, in plebe cenſebantur. Adeo vt filij Equitum Romanorum non continuò equeſtrem locum tuerentur, niſi quiſque divisâ cum fratribus hereditate quadringentorum cenſum ſibi proprium probaret: prout conſtat ex illis Martialis:

*Calliodorus habet cenſum (quis neſcit) equeſtrem,*
*Sexte: ſed & fratrem Calliodorus habet*
*Quadringenta ſecat qui dicit &c.*

Hæc inquam & conſequentia vſque ad mille ſeſtertia in vſu reperiuntur Scriptorum Claſsicorum: ſic tamen vt ſupra nonaginta novem ſeſtertia Libentius vtantur Elegantiores quique alio genere loquendi Eccliptico quo ſummæ per adverbia numeralia exprimuntur. Ita vt exempli gratia pro *centum Seſtertiis*, dicatur *ſemel Seſtertiûm*, pro *ducentis ſeſtertiis*, *bis ſeſtertiûm.* & ſic deinceps. in quâ oratione, vt dixi, mutila ſi quæ deſunt exprimantur diſertè, ſic efferenda tota ſententia fuerit *ſemel centies millies ſeſtertiorum. bis centies millies &c.* Vidimus enim ſeſtertium vnum magnum mille ſeſtertios parvos comprehendere. vnde patet centum magna ſeſtertia eandem ſummam conficere quam centum millia parvorum ſeſtertiorum. Has ſummas ſic exprimi ſolitas ſequens noſtra Tabula cum noſtratibus pecuniis adæquabit: in hunc modum.

# TABVLA TERTIA.

*Qua ſummæ Romanæ à ſemel ſeſtertiûm vſque ad milliès millies ſeſtertiûm Gallicæ pecuniæ adequantur.*

| *Seſter.* | *Lib. Fran.* | *Sol. Tur.* | *Denarioli.* |
|---|---|---|---|
| *Semel.* | 9305 | 11 | 1 |

| *Seſtertiûm* | *Libræ Frãc.* | *Sol.tur.* | *Denar.* |
|---|---|---|---|
| *Bis* | 18611 | 2 | 3 |
| *Ter* | 27916 | 13 | 4 |
| *Quater* | 37222 | 4 | 5 |
| *Quinquies* | 46527 | 15 | 7 |
| *Sexies* | 55833 | 6 | 8 |
| *Septies* | 65138 | 17 | 9 |
| *Octies* | 74444 | 8 | 11 |
| *Novies* | 83750 | 0 | 0 |
| *Decies* | 93055 | 11 | 2 |
| *Vicies* | 186111 | 2 | 3 |
| *Tricies* | 279166 | 13 | 4 |
| *Quadragies* | 372222 | 4 | 5 |
| *Quinquagies* | 465277 | 15 | 7 |
| *Sexagies* | 558333 | 6 | 8 |
| *Septuagies* | 651388 | 17 | 9 |

| Seſtertiûm | Lib. Franc. | Sol. T. | Denar. |
|---|---|---|---|
| Octogies | 744444 | 8 | 11 |
| Nonagies | 837500 | 0 | 0 |
| Centies | 930555 | 11 | 1 |
| Ducenties | 1861111 | 2 | 3 |
| Trecenties | 2791666 | 13 | 4 |
| Quadringẽties | 3722222 | 4 | 5 |
| Quingenties | 4652777 | 15 | 6 |
| Sexcenties | 5583333 | 6 | 8 |
| Septingenties | 6513888 | 17 | 9 |
| Octingenties | 7444444 | 8 | 11 |
| Nongenties | 8375000 | 0 | 0 |
| Millies | 9305555 | 11 | 2 |
| Bis milles | 18611111 | 2 | 3 |
| Ter millies | 27916666 | 13 | 4 |
| Quater millies | 37222222 | 4 | 5 |

| *Seſtertiûm.* | *Lib. Franc.* | *Sol. tur.* | *Denar.* |
|---|---|---|---|
| *Ducenties mill.* | 186111111 | 2 | 3 |
| *Trecenties mill.* | 2791666666 | 13 | 4 |
| *Quadring. mill.* | 3722222222 | 4 | 5 |
| *Quingêties mill.* | 4652777777 | 15 | 7 |
| *Sexcenties mill* | 5583333333 | 6 | 8 |
| *Septingêties mill.* | 6513888888 | 17 | 9 |
| *Octigenties mill,* | 7444444444 | 8 | 11 |
| *Nongenties mill.* | 8370000000 | 0 | 0 |
| *Millies Millies.* | 9305555555 | 11 | 2 |

Vlterius non procedimus, quod facile erat additione continuâ, idcirco quod apud Veteres Scriptores, quibus interpretandis hæc comparamus, vix reperiantur memoratæ ſummæ his maiores quas hoc abaco expandimus: quarum vltimæ dubito an par vlla umquam ullius aut narratione Hiſtorici expreſſa, aut Principis Rei-ve publicæ celebratæ literis ærario collecta vſquam fuerit. Liceat igitur hic deſinere, ac quaſi moleſta operâ defunctis remiſsionis cauſa otioſè quærere, Cur nummum potiſsimum ſeſtertium indicandis ſummis Romani adhibuerint. Nummum inquam duplicem ſeſtertium, priorem maſculino genere, De-

narij quadrantem: alterum magnum neutro genere Seſtertium parvos ſeſtertios mille comprehendens. Tanti eſt narrare de hac re ſomnium meum. Suſpicabar ſeſtertio parvo modum ac pretium diurni victûs; ſeſtertio magno expreſſam annonā; hoc eſt, impenſam totam quæ ſuggerendis homini per annum neceſſariis ad victum facienda eſt. *Omnis labor hominis in ore eius* inquit Eccleſiaſtes Cap. VI. 7. ſignificans omnem contentionem atque induſtriam hominum, variámque adeo iſtam occupationem vitæ vnum ferè ad ſcopum referri parandi cibi neceſſarij ſuſtinendæ vitæ: multò autem magis eo videtur omnis à principio rei nummariæ ratio relata. Sanè quis magnoperè extra vſum parandarum victui ac cultui opportunarum rerum congerere pecunias curaret. Vtrámque igitur paginam in rationibus vt vitæ humanæ, ſic rei quoque pecuniariæ, cura corporis facit. In quâ quod inſtat maximè nec remiſsionem aut moram patitur eſt diei cujuſlibet penſum hujus generis: modus inquam victûs quotidiani ad vnius humani corporis vſum dimenſus. Taxatio ejus videtur quaſi pro triplici ordine conditionum inter homines triplex indicata celebri partitione denarij primùm in quinarium deinde in ſeſtertium. Denarius videlicet legitimum eſt pretium diurni victus: & quidem ſatis lauti, qu nimirum Operarij donati vnde ſe ac familiam alerent habebant. Hac de re alias huic loco non inutilia quędam notavi ad Mathęi xx. vbi eſt mentio denarij diurni & ad Apocal. VI. 6. vbi bilibris tritici denario vno addicitur. in græco pro bilibris eſt χοῖνιξ quo vocabulo ſignificari cibum homini neceſſarium in diem dumtaxat vnam docent paſsim qui præceptum illud Pythagoræ interpretantur: *Choenici ne inſideas*: quibus verbis occultè innuit: ceſſare ſecurum non debere hominem

qui

forte habeat vnde præſenti huius diei victûs neceſsitati ſatisfaciat, niſi etiam in ſpatium longius ſibi providerit: nempe, ut Prudentes ſolent, in annum. Varia porro fortuna hominum eſt; cuius ratione in tres fere claſſes digeruntur, Præcellentium, Mediocrium, & Infimorum, quibus tum quotidiani tum annui ſumptus diverſa pro ſtatûs varietate menſura eſt. Si ergo Denarius Præcellentibus aſsignatur, Mediocres quinario, Infimi Seſtertio contenti eſſe poterũt. Quæ dicis & exempli cauſa in ſermone verſantur; haud ideo ſcrupuloſâ diligentia exigenda. Tantum hinc habendum modum diurni victus vtcumque in Denario & eius partibus deſignatum. Annonæ ſive ſumptûs annui triplex quoque pro memoratis fortunarum differentijs diſtinctio. Erat videlicet Romæ præſcriptus modus Cenſus Senatorij duodecies Seſtertium hoc eſt libr. 111666 quo definiebatur ſupra centena undecim millia librarum annui reditus Senatoriæ urbis Romæ florente imperio dignitati ſuſtinendæ neceſſaria viſa eſſe. Erant & quadringenta Equeſtri Ordini præſtituta, unde reijciendus putabatur qui paulò pluſquam annua triginta ſeptem millia librarum ex ſuis fundis aut pecunijs non perciperet. Inter his inferiores tenuiſsima & minima fortuna erat mille tantum parvos Seſtertios, hoc eſt vnum magnum, nonaginta tres videlicet Libras Francicas in annos ſingulos colligentium. infra quod nihil niſi fames & mendicitas reſtabat. Qua occaſione ſemel in ſummis efferendis pecuniæ Seſtertiorum mentione celebrata, univerſa rei nummariæ ratio in ſeſtertios, aut ſeſtertia conie&a fuerit. Sed hæc hactenus. parum enim neceſſaria, nec ſatis certa ſunt. Illud vtilius notabimus: cum adverbijs numeralibus

Genitivum pluralem contractum ex ſeſtertiorum, *Seſtertiûm*, vſurpari vulgo monuimus : verè id á nobis dictum attendentibus communiorem vſum: Qui non obſtat quo minus certum ſit genitivum illum pluralem interdum mutari in ablativum ſingularem. Scribit enim Seneca de Apicio Cap. x. Libri de Conſol. ad Helviam: *in ſeſtertio centies ſi vixiſſet* & Plinius *ſeſtertio tricies*: Tacitus quoque: *ſeſtertio quadragies*. Valerius denique Maximus *ſeſtertio ſexagies*. Quin etiam apud Ciceronem vſpiam, itemque apud Cornelium Tacitum, genitivus ſingularis pro plurali poſitus legitur, vt: *ſeſtertij centies*, *ſeſtertij ter millies* pro ſeſtertiûm centies &c. Scribatur.

Ad pecuniæ jam æreæ perpenſionem aggrediendum eſt, quantò antiquioris argenteâ, tantò ferè minus eâ uſu celebris: ſatis tamen, in Hiſtorijs præſertim primo Punico bello ſuperioribus, memoratæ, vt videatur vtile futurum eius quoque cum noſtrate coæquandę Canonem hic apponere. Fundamentum autem rationum in hâc parte noſtrarum habemus locum Plinii Libro XXXIII. Cap. III. vbi docet denarium argenteum cum primum cuſus eſt permutari iuſſum eſſe *pro decem Libris æris*, ( hoc eſt cum decem aſsibus, vnde & denarij nomen nactus eſt ) *Quinarium vero pro quinque: ſeſtertium denique pro dupondio ac ſemiſſe.* Cum autem ſuperius definierimus denarium argenteum Romanum æquivaluiſſe Septem ſolidis turonenſibus ac quinque præterea denariolis cum triente ſexti, conficitur inde multiplicando ſeptem per duodecim & his addendo quinque cum triente ſexti, tum deinde ſummam totam partiendo in decem; præciſum modum Romani aſsis veteris ad noſtram pecuniam redacti eſſe novem denariolos minus vna decimaquinta particula vnius denarioli. qui defe-

ctus meritò negligi poteſt, vt ſummâ rotunda æſtimemus aſſem Romanum dodrante noſtri ſolidi, hoc eſt novem denariolis quales dudodecim ſolidum conflant. Sic igitur ex hoc principio procedimus. Si As novem fere denariolis æquivalet, ſemis quatuor denariolos cum dimidio ferè quinti æquabit. *Quadrans* autem duobus dumtaxat denariolis & quarta vnius denarioli parte æſtimabitur. Poſtremo *minutum*, quomodo vocatum fuiſſe nummulum æreum dimidium quadrantis valens docet nos Marcus Evangeliſta Cap. XII. v. XLII. ſupra vnum denariolum non niſi nonam alterius denarioli partem addidiſſe. Hanc infimam æreæ monetæ, quam quidem tanti ſit expendere, ſpeciem pro baſi ſubſternimus quartæ noſtræ Tabulæ, quam deinceps expandimus.

# TABVLA QVARTA.

## *Aſſem Romanum cum ſuis partibus tam ſimplicem quam multiplicatum ad Francicam pecuniam redigens.*

| *As & ejus partes* | *Lib. Frã.* | *Sol. Tur.* | *Denarioli* |
|---|---|---|---|
| *Minutum* | 0 | 0 | 1 |
| *Quadrans* | 0 | 0 | 2 |
| *Semis* | 0 | 0 | 5 |
| *As* | 0 | 0 | 9 |

| Aſſes Romani | Lib. Fr. | Sol. tur. | Denar. |
|---|---|---|---|
| Decem Æris ſive decuſſis | 0 | 7 | 6 |
| Centum Æris ſive centuſſis | 3 | 14 | 6 |
| Mille Æris ſive denarij centum | 37 | 4 | 6 |
| Duo millia Æris | 74 | 8 | 11 |
| Tria millia Æris | 111 | 13 | 4 |
| Quaterna millia Æris | 148 | 17 | 10 |
| Quina millia Æris | 186 | 2 | 3 |
| Dena millia Æris | 372 | 4 | 6 |
| Centena millia Æris | 3722 | 4 | 6 |

| *Aſſes Romani.* | *Lib. Fr.* | *Sol. tur.* | *Denar.* |
|---|---|---|---|
| *Ducenta millia Æris* | 7444 | 8 | 11 |
| *Trecenta millia Ætis* | 11166 | 13 | 4 |
| *Quadringenta millia æris* | 14888 | 17 | 10 |
| *Quingenta milla æris* | 18611 | 2 | 3 |
| *Milla millia Æris.* | 37222 | 4 | 6 |

Habet inſtructus hac tabula, quo facilê ac tutò defungatur omnibus fere mentionibus æreæ monetæ quæ apud Autores veteres occurrent. quaſdam in exemplum ponam. Narrat Livius lib. 1. Servium Tullium Regem Claſſes Romani populi quaſdam diviſiſſe ratione habita modi pecuniæ ac poſſeſsionum cuiuſque civis. ita vt ad Claſſem primam omnium Principem pertinerent quibus redirent annuo cenſu ſaltem centum æris millia. His qui quadrâte minus haberent, Claſsē alterā implebāt, cui ſaltē erant ſeptuaginta quinquė millia ęris in cenſu annuo. Tertia erat Claſsis quinquaginta millia æris annua percipiētium. Quarta cui viginti quinque millia æris annua provenirent. Quintæ cenſus erant vndecim millia. Hec legens ſi ad noſtram tabulam recurret ſtatim intelliget

cenſum primæ Claſsis fuiſſe trium millium ſeptingentarum duarum & viginti librarum Gallicarum cujus ſummæ dimidium, dodrantem, quadrantem,& ſi quam aliam proportionalem partem, ſtatim aſſequi conjectura erit facillimum canonem noſtrum tenenti. Dionyſius Halicarnaſſeus lib. ix. Antiq. Rom. refert Menenium Agrippam Juniorem judicio Plebis damnatum indicta multa duum millium æris. vides in tabula noſtra eam ſummam non excedere ſeptuaginta quatuor libras francicas cum octo ſolidis. vnde apparet quam meritò diligentiſsimus Hiſtoricus illîc excipiat,eam mulctam ſi ad mores temporis quo ſcribebat compararetur, ridiculam viſum iri. Idem Dionyſius libro X. Ejuſdem operis Romilium decem millibus æris mulctatum ſcribit, Veturium autem quindecim millibus: vtrámque ſummam in tabula expreſſam vides. Cætera ejus generis in prono ac promptu ſunt; vt in his morari otioſum ſit.

De aurea Romanorum moneta, quod reſtabat vnum, paucis expedio: cepto Romæ percuti aureo nummo,vt Plinius docet, duobus & ſexaginta annis poſtquam argentei primum cuſi fuerant, quinto, vt diximus, anno ante primum bellum pucum ( quæ nota annum vrbis conditæ circiter ſextum & quadrageſimum ſupra quingenteſimum aureæ Romæ monetæ natalem aſsignat ) primum ex auri Libra triginta octo aut triginta novem nummi facti ſunt: Paulo poſt quadraginta: dehinc quadraginta quinque. Poſtremo conſtantior vſus invaluit vt octo & quadraginta nummi aurei ex vna rudis auri libra cuderentur, pari omnes pondere. Huic Hypotheſi ſuperſtruimus: & nummos quorum occurret mentio aureos Romanos quadrageſimam octavam ſingulos libræ auri pendiſſe partem ponimus, niſi majores aut minores fuiſſe indicium

indicium ex ipſo loco extet idoneum. Notum porro eſt libram vnciarum duodenûm nonaginta ſex drachmis conſtare. unde manifeſtum fit, quemlibet aureum nummum Romanum duas pendiſſe auri drachmas, hoc eſt duobus argenteis denarijs pondere parem fuiſſe. Denarius enim drachmæ pondere conſtabat (& fortaſſe indicatur drachmæ nomine in parabola Evangelica Mulieris domum everrentis ut drachmam perditam inveniret) indicatur autem à Plinio Regula Catholica exæquando valori auri cum argento: nempe proportionem argenti ad aurum æſtimari debere ſicut unius ad quindecim. Ait ſiquidem Plinius lib. XXXIII. Cap. III. ſcrupulum auri valere ſeſtertios vicenos. Eſt porro ſcrupulus pars vnciæ quarta & viceſima. viginti vero Seſtertij quinque denarios efficiunt, ſingulos, ut diximus, drachmam vnam pendentes, qui ſimul omnes ſcrupulorum quindecim pondus & valorem colligunt. ut appareat unum auri ſcrupulum quindecim argenti ſcrupulis reſpondere in æſtimatione veteri: imo & in nova & hodierna quoque. Nam iuxta vulgarem noſtratium uſum aureus nummus, quem ſolatum dicimus, cuius pondus eſt granorum ſexaginta trium, permutatur ſolidis centum & quatuor. Qua ratione auri vncia æſtimanda fuerit ſolidis uno & quinquaginta ſupra nongentos, cuius numeri pars decima-quinta, paucis tantum minutiis deficientibus, exactè ſunt ſexaginta quatuor: quot ſolidis æſtimatur vncia argenti. Satis igitur probata, tam in veteri quam in recenti æſtimatione, proportione auri ad argentum qua ſi unius ad quindecim: cum antea demonſtraverimus nummos aureos Romanos drachmarum duarum pondus habuiſſe; & ſatis conſtet denarium argenteum unam pendiſſe drachmam, colligere aliquando de-

bemus: ſi duorum denariorum Romanorum veterum redactum pecunia noſtra valorem per quindecim multiplicaverimus, exactum nummi aurei Romani pretium habituros. Demonſtratum porro eſt denarios duos ſi ad hodiernam noſtratem pecuniam reducantur, exactè conficere ſolidos quatuordecim cum decem denariolis & duobus trientibus vndecimi. hoc eſt rotundo numero ſolidos fere quindecim, qui ſi per quindecim multiplicētur, producent ſolidos ducentos viginti quinque hoc eſt, undecim libras Francicas cum quinque ſolidis: quod habere oportebit pro exacto pretio numi Romani aurei, ſicubi eius mentio occurret, vix alibi opinor occurſura quam apud ſcriptores Græcos Rerum Romanarum, aut Romanorum temporum. Occurrit ecce Strabo Libro IV. pag. 125. Edit. Caſauboni, ubi in argumentum frugalitatis Maſſilienſium profert: quod *Dos apud ipſos maxima fuerint centum aurei*: *prætereáque quinque in veſtem & totidém in mundum aureum ſponſæ*. Aurei Romani meritò hîc intelliguntur, cum Romanis Maſsilia ſubeſſet. quantum ergo valent pecunia noſtra centum decem aurei Romani? omnino mille ducentas triginta ſeptem libras Francicas cum decem ſolidis. Ad hoc exemplum facilè cætera expedientur.

Supereſt ut de pecuniis Græcis pauca perſcribamus. quarum ad arripiendum admovendúmque noſtræ notitiæ verum modum anſam offerunt Plinius Plutarchus aliique veteres, dum drachmam, argenteum nummum Græcæ χαραγῆς nomen id à pondere ſortitum: eiuſdem valoris item ac ponderis cum Romano denario fuiſſe concordi teſtimonio affirmant. Habemus ergo valorem drachmæ Græcæ, ſeptem ſolidos noſtrates cum quinque

Denariolis & vno triente ſexti. Minam porro Atticam ſcimus ante Solonem ſeptuaginta quinque fuiſſe drachmarum. quod ſi decem drachmarum valor exactus adæquat tres Libras Francicas cum ſolidis quatuor-decim & ſex fere denariolis; agnoſcere oportet minam veterem atticam octo & viginti Francicas libras cum duobus ſolidis & ſex denariolis æquaſſe ante Solonem. Poſt Solonem Mina Attica iam centum drachmis conſtans triginta ſeptem libras Francicas cum decem ſolidis explebat. Obſervandum ergo fuerit in occurſu mentionis minæ apud veteres Scriptores, vtrum ij antiquiores Solone, an verò poſteriores fuerint. Et ſi quidem antiquiores, mina intelligenda ſeptuaginta quinque Drachmarum, hoc eſt pecunia noſtra viginti octo librarum Franc. ſin verò poſteriores, ſeptem & triginta libris mina æſtimanda erit.

Talenti Attici duplex modus eſt. alter extraordinarius & rarus octoginta minis conſtans, æquivalentibus noſtra pecunia ter mille libris Francicis. Alter vſitatior minarum ſexaginta, adæquans bis mille ducentas quinquaginta libras Francicas. Hoc qui tenuerit ad omnem mentionem talentorum in libris Græcis veteribus occurrentem habebit quid ſequatur.

Extremum erit Corollarium de pecuniis Hebræorum in Sacris libris aut Hiſtoria Iudaïca memoratis. In ea republica maximæ celebritatis fuit Siclus; quem ex Ioſepho Hieronymo & aliis tetradrachmalem fuiſſe intelligimus: hoc eſt æquivaluiſſe ſingulos Siclos ſive argenteos iudaïcos quatuor denariis Romanis conficientibus noſtra pecunia fere triginta ſolidos. vnde licebit exactè ſtatuere quantam ſummam effecerint triginta argentei Iudæ proditori à Iudæis dati. Si enim eorum

quiſque triginta ſolidis turonicis æquivaluit: triginta ex ipſis, Libris Francicis quadraginta quinque æſtimandi venient. Sed eſt celebris Ezechielis locus ex quo poſita ſemel æſtimatione Sicli, de duabus aliis pecuniæ iudaïcæ ſpeciebus ſtatuere licebit. Ait enim Propheta libri ſui Cap. XLV. 12. *Siclus viginti obolos habet: porro viginti ſicli & viginti-quinque ſicli, & quindecim ſicli mnam faciunt.* De obolis primò, mox de ſiclis. ſi triginta ſolidi turonici viginti obolos Iudaïcos faciunt, oportet obolo cuique ſeſquiſolidum competere. hoc eſt ſolidum unum & præterea ſex denariolos. Rurſus viginti ſicli & viginti quinque ſicli & quindecim ſicli efficiunt ſexaginta ſiclos: hoc eſt nonaginta libras Francicas, quæ minam ſive mnam unam hebraïcam faciunt, multo maiorem minâ Græcâ. Minarum Hebraïcarum ſatis creber in libris ſacris occurrit uſus, ut iſta ſemel definiviſſe ſit operæ pretium.

Liber Exodi Cap. XXX. verſu 13 idem affirmat de Siclo quod Ezechiel, nempe viginti obolos habere. quod idem repetitur Levitici XXVII. 25. Num. III. 47. Sed obſeruandum duo fuiſſe genera Siclorum quorum is de quo egimus tetradrachmus, *ſanctuarij* dicebatur cuius erat uſus in æſtimatione rerum ſacrarum. cum in commerciis prophanis potius vterentur alio dimidio minori pendente duas tantum drachmas.

Talenta in Libris ſacris tum argentea, tum aurea memorantur. Colligit Gaſſendus ex libro Exodi Talentum argenti comprehendiſſe tria millia ſiclorũ ſanctuarii, hoc eſt: duodecim millia drachmarum. Talentum auri argenteo æquiponderans quantum præponderet pretio, ex ſuperius iacto fundamento ſtatim intelligitur, ubi veterum teſtimoniis & uſu etiam hodierno conſtituimus: auri

ad argentum proportionem valoris eſſe ut unius ad quindecim. Ex his quæ reperitur in libris ſacris Talentorum auri, argentique memoria hodiernæ notitiæ admoveri ſine magno negotio poterit. Quare deſinere hîc nobis licet, ſi minus exhauſto penitus ac perpurgato loco iſto, certè aperto aliquatenus ac quadam luce perfuſo, vt nec tam obſcurum nec tam impeditum deinceps noſtra methodo inſtrúctis ſeſe veterum Scriptorum hodiernis Lectoribus obijciat. Ita quidem opinabar: Tu videris an me fallat ratio: atque adeo:

*Si quid noviſti rectius iſtis*
*Candidus imperti: ſi non, his vtere mecum.*

LAVS DEO.

*FINIS.*

BIBLIOTECA NAZ. ... V. EMANUELE ...

quiſque triginta ſolidis turonicis æquivaluit: triginta ex ipſis, Libris Francicis quadraginta quinque æſtimandi venient. Sed eſt celebris Ezechielis locus ex quo poſita ſemel æſtimatione Sicli, de duabus aliis pecuniæ iudaïcæ ſpeciebus ſtatuere licebit. Ait enim Propheta libri ſui Cap. XLV. 12. *Siclus viginti obolos habet: porro viginti ſicli & viginti-quinque ſicli, & quindecim ſicli mnam faciunt.* De obolis primò, mox de ſiclis. ſi triginta ſolidi turonici viginti obolos Iudaïcos faciunt, oportet obolo cuique ſeſquiſolidum competere. hoc eſt ſolidum unum & præterea ſex denariolos. Rurſus viginti ſicli & viginti quinque ſicli & quindecim ſicli efficiunt ſexaginta ſiclos: hoc eſt nonaginta libras Francicas, quæ minam ſive mnam unam hebraïcam faciunt, multo maiorem minâ Græcâ. Minarum Hebraïcarum ſatis creber in libris ſacris occurrit uſus, ut iſta ſemel definiviſſe ſit operæ pretium.

Liber Exodi Cap. XXX. verſu 13 idem affirmat de Siclo quod Ezechiel, nempe viginti obolos habere. quod idem repetitur Levitici XXVII. 25. Num. III. 47. Sed obſeruandum duo fuiſſe genera Siclorum quorum is de quo egimus tetradrachmus, *ſanctuarij* dicebatur cuius erat uſus in æſtimatione rerum ſacrarum. cum in commerciis prophanis potius vterentur alio dimidio minori pendente duas tantum drachmas.

Talenta in Libris ſacris tum argentea, tum aurea memorantur. Colligit Gaſſendus ex libro Exodi Talentum argenti comprehendiſſe tria millia ſiclorũ ſanctuarii, hoc eſt: duodecim millia drachmarum. Talentum auri argenteo æquiponderans quantum præponderet pretio, ex ſuperius iacto fundamento ſtatim intelligitur, ubi veterum teſtimoniis & uſu etiam hodierno conſtituimus: auri

ad argentum proportionem valoris eſſe ut unius ad quindecim. Ex his quæ reperitur in libris ſacris Talentorum auri, argentique memoria hodiernæ notitiæ admoveri ſine magno negotio poterit. Quare deſinere hîc nobis licet, ſi minus exhauſto penitus ac perpurgato loco iſto, certè aperto aliquatenus ac quadam luce perfuſo, vt nec tam obſcurum nec tam impeditum deinceps noſtra methodo inſtrůctis ſeſe veterum Scriptorum hodiernis Lectoribus obijciat. Ita quidem opinabar: Tu videris an me fallat ratio: atque adeo:

*Si quid noviſti rectius iſtis*
*Candidus imperti: ſi non, his vtere mecum.*

LAVS DEO.

*FINIS.*

BIBLIOTECA NAZ. ... VITTORIO E...

Digitized by Google